



**Erudita et pia Psalmi dixit Dominus enaratio, VVitembergae  
nata, & nunc primum aedita.**

<https://hdl.handle.net/1874/428528>

**ERUDITA  
ET PIA PSALMI  
DIXIT DOMINVS  
ENARATIO, VVIT-  
tembergæ nata, & nunc  
primum ædita.**



PSAL. LXXXIX.

**Beatus populus qui scit iubilationem,**

Norimberga, apud Iohan. Montatum,  
¶ Vbricum Neuber. M. D. XLIII.



# REVEREN

D O I N C H R I S T O

Patri ac Domino, D. Friderico, Abba-  
ti ad S. Egidium Norimbergæ, ueræ  
religionis, ac sincerioris doctrinæ sin-  
gulari amatori Vitus Theodo-  
rus Concionator Norim-  
bergenſis S. D.



N hic, reuerende Abba, Psal-  
mum, quem tantopere roga-  
sti ut ederem. Etsi enim non  
deerant causæ, quæ monerent  
ne alienum librum, sine autoris confen-  
su, uulgarem, tamen cum Ecclesiæ eius  
lectio profutura esset, persuaderi me  
passus sum, ut maiorē rationem publici  
comodi, quam priuati officij haberem.  
Non solum enim dextrè hæc Dauidis  
insignis prophetia in hoc Comentaz-  
riolo explicata est, sed etiam præcipui  
ueræ religionis loci eruditè ostensi, ac  
peculiariter Sacerdotium Christi & Sa-  
crificium sic tractatum est, ut sperem sa-

2 ij crarum

erarum reꝝ studiosos, etiam gratiam  
mihi habituros nō exiguam, quōd tam  
utilem libellum non passus sim diutius  
latere.

Admonuit autem me etiam præ-  
sentium temporꝝ ratio, ut iudicarem li-  
bellum hunc omnibus pijs maxime fo-  
re gratum. Vides in quo nunc uerse-  
mur discrimine. Undiqꝝ urgent hostes.

Turca Ecclesiam ferro crudeliter perse-  
quitur, & Romanus Pontifex tanqꝝ so-  
cius eorundem consiliorum, iam dudu-  
omnes vias insistit opprimendæ sanæ  
doctrinæ. Quoties enim hactenus pu-  
blicis iudicij aduersariæ partis damna-  
ti sumus? In quantis periculis pij Magi-  
stratus uersati sunt, qui Pontificiam ido-  
latriam abiecerunt, & suas Ecclesiæ, sa-  
na doctrina, & ueris cultibus uoluerunt  
institui? Fallimur autem, si tantum hu-  
mana ui nos oppugnari credimus. An  
tiqui serpentis hi morsus sunt, qui calca-  
neum Christi infestat, Is sua mancipia  
impellit, ut & idolatriam usitatam stre-  
nue defendant, & summa uise puriori  
doctrinæ opponant. Neqꝝ hoc certa-  
men

men nunc primum exoritur. Veteris Ecclesiæ historias inspice, & sicut eadem semper sanæ doctrinæ forma fuit, ita semper ijsdem consilijs & insidijs contra eam usus est Satan. Paulus quid aliud facit, quam ut ostendat suo populo Iesum esse Christum, & per eius mortem reconciliatum nobis patrem in cœlis, ac per Resurrectionē eius, nobis patefactam uiam ad uitam æternam? Sed hanc doctrinam quomodo Synagoga excipit? Non solum damnat Paulum tantum blasphemum, non solum accusat, quod contra legem Dei, & usitatam religionem doceat, sed etiam seditionis reū agit, ac clamat totū orbem terrarū ab eo nouis dogmatibus concitatum esse. Ideo omnis generis periculis ac malis, sanctissimus Doctor, ab impia Synagoga uexatus, ac tantum non oppressus est.

Hanc doctrinæ formam cum nos quoq; retineamus hodie, an non expesrimur eadem? Quantis clamoribus exagitant nos Scholæ, cum dicimus hominem sola fide iustificari, hoc est, res

a ij missio

missionem peccatorum non per opera  
contingere, sed tantum fide in Christū.  
Quid enim est, quod miseri peccatores  
opponere irā Dei possumus? Non ne  
gamus, Deo obedientiam placere, ad  
quam nos uerbum eius, dum hic uiui-  
mus, obligat, ac amplissima præmia fa-  
temur proposita ijs, qui uitā & mores  
suos ad legem Domini comparant. Sed  
hanc obedientiam qui iudicio Dei op-  
ponere uolunt, non solum in eo pec-  
cant, quòd misericordiam, quam Deus  
in filio suo omnibus offert, abiiciunt,  
sed sua opera æquant merito filij Dei.  
Itaqz, hanc impietatem merito repre-  
hendimus, & nostræ curæ commissas  
ouiculas hortamur, ne uenenata ista  
pascua attingant. Quòd postea Eccles-  
siæ nostræ malunt suos ministros san-  
cto Matrimonio alligatos, quām ut ua-  
gis libidinibus tot scandalorum occasi-  
onem præbeant, quòd utuntur Sacra-  
mento integro, quòd discrimina cibo-  
rum nulla faciunt, sed cum gratiarum  
actione, iubent quemqz, pro luæ ualetu-  
dinis ratione, nunchis, nunc alijs uti ci-  
bis,

bis, hæc cum uerbo Dei pugnare ne  
quidem aduersarij dicent. Et tamen tot  
iam annos omnis generis supplicijs sub  
iecti sunt, qui in hisce rebus autorita-  
tem Christi, quam humanas traditio-  
nes maluerunt sequi. Nec adhuc Sa-  
than cessat tentare, agere, mouere om-  
nia, ut ad ueterem idolatriam & super-  
stitiones Ecclesia redigatur.

Nam quod nunc Consilium Tri-  
denti institutum est, cur id putamus à  
Pontifice factum? Num ut purior dō-  
ctrina restituatur Ecclesijs, & illa infini-  
ta impiorum cultuum multitudo abo-  
leatur? Minime. Cur enim, si hæc se-  
mel animo constitutum esset facere, tot  
iudicij & Decretis nos damnarunt?  
Itaque quæ in hac causa hactenus à se no-  
runt facta, ea profecto reuocabunt nun-  
quam. Sed quærunt his rationibus qua-  
si fulchra tyrannidis, ut plurimum senten-  
tis damnatae Ecclesiæ nostræ, tandem  
possint opprimi.

Hæc si quis ex suspitione potius,  
quam ex certis rationibus à me dici  
putatis, sane fruatur spe melioris refor-

mationis Ecclesiarum, & ea beatus  
sit. Nec mihi difficile est fingere, Cardi-  
nales & Episcopos cum sua turba iam  
conuenire, ut integrum Sacramentum  
laicis, coniugium Sacerdotibus, sana  
doctrina, omnibus uolentibus ea uti,  
permittatur. Aut si hoc nimium est (nō  
enim ferent ad alias nationes hæc trans-  
ferri) fingamus eo modo nunc cū Ger-  
manis actum iri, quo post Hussi & Hie-  
ronimi, sanctissimorū hominum indi-  
gnam mortem, cum Bohemis actū est,  
ut nostræ nationi usitata religione, &  
doctrina liceat uti. Profecto nemo est,  
qui ausit aliquid præstantius aut meli-  
us à concilio isto postulare. Ac uidetur  
ea ratione publicæ tranquillitati quoquia  
consultum iri, qua in tantis periculis,  
quæ nunc ab impio & externo hoste  
imminent, imprimis opus est.

Sed ô Christe, ne sis tam male pro-  
pitius Ecclesiæ tuæ, ut Pape Concilium  
tale aliquid patiaris constituere. Quid  
enim esset aliud, has ipsas Sanctiones  
à nobis recipi, quam Christo præferri  
auctoritatem hominum, & uerbo Dei  
omni-

omnipotenti anteponi humanas traditio-  
nes? Quia eīm hēc antea uerbo Dei  
instituta & constituta sunt, Quia iam  
antea mandatum patris de cōelo sonu-  
it, ut audiamus filium, cur humānam  
expectamus autoritatem? Num quæ  
Christus instituit & iussit, non prius ra-  
ta & firma erunt, quam Pōtificis, & suo  
rum Cardinalium accedat autoritas?  
Non hæc ueteris Ecclesiæ consuetudo  
fuit, quam tamen plenis buccis depræ-  
dicant Papæ mancipiā. Nō enim ideo  
coactæ sunt Synodi, ut homines disce-  
rent, licere sibi credere & facere quæ à  
Christo mandata erant. Sed aut expli-  
cabantur difficiles quæstiones, aut pu-  
blicis sententijs asserebatur ueritas, &  
damnabantur impiorū dogmatum ma-  
gistri. Nunc scilicet hoc agetur in con-  
cilio, ut Germani discamus, nos non  
peccare, cum utimur Sacramento ad eū  
modum, quo Christus uoluit, & iussit  
nos uti: & ut, qui sine coniugio caste ui-  
uere nō possunt, uxores ducantur ut lice-  
at cibis uti parabilibus, & ad ualeuti-  
nem conseruandam aptis? Quin tanque  
anathē

**a**nathemata damnamus , eos qui non  
prius Christo redemptori & Dño no-  
stro credere , & eius uerbo acquiescere  
uolūt, quām hominū accedat autoritas :

Sed, inquiunt, non oportet confun-  
di ordinem, quem Deus uoluit in Eccle-  
sia esse, & per tam longam annorum se-  
riem conseruauit. Valeat sane ordo, sed  
is, qui non aduersatur uerbo . Verbum  
autem Dei anteponatur omnium ho-  
minum, imò Angelorū quoq; autorita-  
ti. Nam Paulus nō ueretur etiā Ange-  
los anathemati subiçere , si Euangeli-  
on aliud prædicent . Neq; nunc locus  
est disputandi longius de ordine, qui in  
Ecclesia esse debet . Non enim habe-  
mus Sacerdotiū, quale legis fuit, quod  
per successionem propagabatur . Et  
mandatum Christi apertum est, Cauen-  
dum esse à falsis prophetis . Igitur cum  
Pontifex, & suorum Cardinalium ac  
Episcoporum turba palam se uerbo op-  
ponant, & idolatriam, ac impios cultus  
defendant, mandato diuino cogimur  
ab eis discedere, & cum his nos coniun-  
gere, qui ueram doctrinam amplectun-  
tur

tur, & ueram intuocationem, ac uerum  
Sacramentorum usum in Ecclesijs suis  
retinent.

Quorsum autem hæc tam longa  
commemoratio, mi Abba, præsertim  
apud te, qui & ueteris idolatriæ acerri=  
mus hostis es, & toto animo sincerio=  
rem doctrinam amplecteris? Nimi=rum, ut ostendam Ecclesiam Christi, in  
qua uera doctrina, & ueri cultus sunt,  
undiq; infinitis periculis & hostibus es-  
se cinctam. Nam & hac tenus usitata  
aduersariorum crudelitas, nobis, proh  
dolor, nimiū nota est, & nihil promit=  
tunt mitius ea quæ nunc impendent  
tempora. Furit enim Sathan, & omnia  
implet scandalis, ac iam dudum hoc  
agit, quacunq; occasione potest, ut in=  
uoluat omnia tumultibus & bellis. Hęc  
cum cogitatione intuemur, non possu=  
mus non solliciti esse de Ecclesia, & po=  
steris nostris. Et profecto qui ratione  
horum temporum difficultatem cona=  
tur metiri, uidet tot ingruentibus un=  
diq; hostibus, Sathan, Turca, Pontifi=  
ce, & toto mundi regno, Ecclesiā, tan=  
quam

quam rosam inter spinas, de die in di-  
em magis ac magis his assiduis quasi  
punctionibus deformari, & absumi.  
Sed pij meminerint, hæc non ratione  
æstimanda, sed uerbo. Igitur & patefe  
cit hæc Ecclesiæ pericula Deus in uer-  
bo suo, sicut hic Psalmus præclare con-  
cionatur, Christum omnia hostibus  
plena habiturum. Et certas consolatio-  
nes addidit, quoniam Dei hoc regnum  
est, non posse id Sathanæ potentia, mul-  
to minus hominum consilijs euerti.  
Sed non tantum uerbo hæc ostensa  
sunt, Etiam ipsa experientia Ecclesiæ te-  
statur, promissiones Prophetarum cer-  
tò impleri. Quid enim profecit Ponti-  
fex, quid profecerunt potentes Reges  
& Principes, quid deniq; impura Pon-  
tificum mancipia, impudentes Sophi-  
stæ, & callidi sycophantæ, qui doctri-  
nam conati sunt opprimere? Nonne  
ecclesia quotidie incrementa sua sumit,  
hi autem duro absuntur fato, sicut  
Angelus cōsolatur Ioseph, exulanten-  
cum coniuge, & filio Dei in terra A-  
egypti; Mortui sunt, qui quærebat ani-  
mam

mam pueri . Discedunt ex hac uita pī  
quoq; sed quieta & placida morte, ple-  
ni spe salutis, quam norunt per filium  
Dei partam . Iſti autem subitis & hor-  
ribilibus circumuenti casibus, ſic abri-  
piuntur, ut maniſta uideas iræ Dei ſi-  
gna . Linguæ uſus, qua ad blaſphemias  
abuſi ſunt, adimitur . Mens, quę Deum  
noluit agnoscere, ſed contra conſcien-  
tiam ueritatem oppugnauit, ita moue-  
tur, ut hruta eſſe existimes . Proponit  
autem Deus hæc exempla, non ſolum  
ut oſtendat ſe Eccleſiæ ſuæ meminifſe,  
dum in hostes eius impetum facit, ſed  
ut territi alij, relipificant, & mentem ac  
linguā ad illuſtrandum Eccleſiam Dei  
conferant, quam uident non poſſehu-  
mana ui, aut consilijs opprimi . Vi-  
demus enim quæ incrementa Eccle-  
ſia ſumpferit poſt Ratiſponenſem con-  
uentū . Quot Principes, Quot etiam ex  
Eccleſiaſtico, ut uocant, ordine Capita,  
Quot Republicę puriorem doctrinam  
& uerum Sacramentorum uſum am-  
plexae ſint? Huius ſucessus, quem un-  
diq; cincta hostibus, & penē oppreſſa

Eccleſ-

Ecclesia habet, lætissima uaticinia hic  
Psalmus complectitur. Promittit enim  
Regem Christum, qui ad dexterā Dei  
sedet, dominaturum in medio suorum  
hostium, & propagaturum regnum su-  
um ex Sione in uniuersum orbē terra-  
rum, ac semper habiturum populum,  
qui sacrificet, non abominabile illud Sa-  
crificium, quod in Pontificis Ecclesia  
est, sed confessionem uerbi, qua regnū  
Christi propagatur, & fidem in uerbū  
ac ueram obedientiam in omni uita.  
Cum igitur sic dextre hunc Psalmum  
uiderem explicatum, & tu mi Abba,  
tantopere rogaes, ne eum inuiderem  
Ecclesiæ, uoluī etiam eam ob causam  
eum uulgari, ut pīj, quos præsentium  
temporum horribilis facies terret, dum  
hanc Explicationem legunt, confir-  
mentur animis, & sperent Deū affutu-  
rum Ecclesiæ suæ, cui tale caput dedit,  
quod multorum in terra caput quassa-  
bit. Perire enim necesse est, qui se huic  
capiti opponunt. Contra, beati omnes  
qui confidunt in eo.

Oro autem mi Abba paternita-  
tem

tem tuam, ut & officium hoc meum bo-  
ni consulas, & usitatam tuam erga me  
benevolentia perpetuo retinere uelis.

Quod ad autorem huius Com-  
mentarioli attinet, et si sine ipsius con-  
silio eum uulgaui, tamen ea mihi con-  
iunctio, & tam longus amicitiae usus  
cum eo intercessit, ut sciam mihi succen-  
sere non posse. Et quod meum pecca-  
tum est, si ea nunc plures legunt, quæ  
antea, publica in Schola dictata sunt:  
Hæ quasi mensarum reliquæ, diligen-  
ter reponendæ sunt in illorum usum,  
qui fame uerbi Dei accensi sunt, & il-  
lam copiam non habent, qua nostræ Ec-  
clesiæ penè ad facietatem sunt obrutæ.  
Bene & fœliciter uale, mi Abba,  
Ex Parochia Sebaldina tertio Kalen.  
Martij. Anno M. D. XLIII.



# ERVDITA

## ET PIA PSALMI

DIXIT DOMINVS ENARRA-

tio, Vuittembergæ nata, &  
nunc primum ædita.

Q. VOMODO PSALMI De  
stribuendi, & utlter sint legendi, Præfatio.



VPLEX EST GENVS Duplex ge  
docendi in Ecclesia, In-  
terpretatio Scripture, & in Ecclesia,  
Methodus. Utroq; au-  
tem opus est, quia Me-  
thodus debet sumi ex

Scriptura: Est enim collectio & explica-  
tio dogmatum, seu summa doctrinæ re-  
dacta in ordinem accommodatum ad  
docendum. Sed interpretatio Scriptu-  
ræ alijs locis, alias partes doctrinæ tra-  
dit. Itaq; magna cura adhibenda est in  
Interpretatione, ut uideatur quomodo  
dogmatum fontes tradantur in singu-  
lis

b

PRAEFATIO.

Iis Scripturæ partibus. Ut qui initium Euangelij Ioannis interpretatur, cogitat ibi fontes contineri Articuli de divinitate filij Dei. In interpretatione Epistolæ ad Romanos sunt fontes de Iustificatione, de discrimine Legis & Euangelij. Ita & Psalmi utiliter legentur, si cogitabimus ad quam doctrinæ partem singuli pertineant. Primum igitur distinguenda sunt genera Psalmorum. Sunt autem tria genera.

I. **psalmorū genera.** Alij sunt Propheticí seu Didascali, seu propriè Euangelici, præcipue ad hoc compositi, ut doctrinam de Christo tradant, qualis sit futurus Messias, quod sit passurus, quale sit futurum ipsius regnum, ac beneficium. Tales sunt Psalmi, Quare fremuerunt gentes, Eructauit cor meum, Dixit Dominus, & aliquot similes. Aut tradunt doctrinam De remissione peccatorum, de Sacrificijs, ut Psalmus Beati quorum remissæ sunt eis, item Psalmus Miserere.

II. **Suasorijs.** Alij sunt generis Suasorijs, uidelicet

con-

P R A E F A T I O .

consolations, precationes, & gratiarum actiones. Et quanquam miscentur genera, tamen facile iudicari potest, quae sit praecipua Psalmi materia. Est autem maximus numerus Psalmorum huius generis, uidelicet consolationum, gratiarum actionum, & prectionum. Miscentur autem & hic Articuli dogmatum, qui concionantur de liberatione piorum, & de gratuita remissione peccatorum, de exercitijs fidei in cruce, Item de irritis hominum conatibus sine auxilio Dei, de poenitentia impiorum. Ad hoc genus pertinet Psalmus Noli emulari, Item Psalmus quartus, & alij multi.

Tertium genus est simpliciter numero continens præcepta de bonis operibus, ut Psalmus 112. Beatus vir qui timet Dominum, Item præceptum de concordia, Ecce quam bonum etc. Etsi autem ingentes continent utilitates singula genera, tamen primum genus hoc nomine superat, quod proponit doctrinam Euangelij de Christo, & multis

b ij grauis

III:  
Legges:

Psalmi Pro  
phecy quid  
tractent.

## PRAEFATIO.

grauissimis testimonij confirmat pias  
mentes. Item confutat Iudæos, qui som-  
niant regnum Christi mundanum. Sci-  
endum autem est illud, in psalmis om-  
nibus, ubi fit mentio misericordiæ, in-  
telligentam esse gratuitam misericor-  
diam, quasi dicat Propheta: Aliæ Gen-  
tes non norunt certò misericordiam  
Dei, sed tantum habent aliquam legis  
notitiam, non statuunt certò quod Deus  
uult exaudire, Nos aut certò noui-  
mus gratuitā misericordiā propter pro-  
missiones, scimus certò quod Deus ue-  
lit exaudire, et hac fide inuocamus De-  
um, ac scimus Deū uelle hac fide coli,  
sicut ait: Inuoca me in die tribulationis.  
Ita maxima pars Psalmorum includit  
doctrinam de fide. Et hoc cogitanti fi-  
ent Psalmi multo dulciores, immo hoc di-  
crimen est inter Gentes & pios, Gētes  
ēm nō norunt gratuitam misericordiā,  
ideo non statuunt se exauditī à Deo.

Versio

# V E R S I O

PSALMI CX.

I.

**D**ixit Dominus Domi-  
no meo, sede a dextris  
meis, donec ponam ini-  
micos tuos scabellum  
pedum tuorum,

II. Sceptrum regni tui emittet  
Dominus ex Sion, ut domineris  
in medio inimicorum tuorum.

III. Populus tuus sponte offeret  
tibi in die uictoriæ tuæ in ornatu  
sancto, ex utero auroræ tanquam  
ros oritur generatio tua.

III. Iurauit Dominus, & non  
pœnitabit eum, tu es Sacerdos in  
æternum, iuxtaritum Melchize  
deck.

V. Dominus a dextris tuis con  
teret in die iræ suæ Reges,

b ij Iudicā

VERSIO PSALMI CX.

VI. Iudicabit inter gentes, cum  
labit cadauera, conteret caput in  
terra multorum.

VII. De torrente in uia bibet,  
propterea exaltabit caput.



# ARGUMENTVM PSALMI DIXIT DOMINVS.



IC PSALMVS EST EX  
primo genere, & proprietate est Evan-  
gelicus, docet enim ordine quis sit  
Christus, quod duxit fit Deus & ho-  
mo, Item ubi regnaturus sit, & quale  
sit futurum regnum, Item quod sit futurus Sacerdos, et  
habitarius Sacerdotium perpetuum. Complectitur au-  
tem beneficia Christi, loquens de regno & Sacerdotio  
eius. Quo in loco accedit particularis insignis, quae uber  
rimam doctrinam continet, quod Christus sit aeternus  
Sacerdos, Item quod sit Sacerdos secundum ordinem  
Melchisedech. Discernit igitur Sacerdotium Christi a  
Leuitico. Deinde concionatur de poenis impiorum.  
Postremo addit uaticinium de passione Christi. Hec  
est summa huius Psalmi.

Cum autem necessaria sit doctrina de benefi-  
cijs Christi, maxime opus est intelligere regnum &  
Sacerdotium Christi, nam haec duo complectuntur sum-  
mantia beneficiorum illius. Ad Sacerdotium perti-  
net quod Christus factus est pro nobis iustitia, quod  
est mediator placans Deum, quod sustulit peccatum,  
quod interpellat pro nobis, & est Pontifex propter  
quem exaudimur, & qui nostras preces perficit ad Pa-  
trem, Item quod dedit nouum uerbum, & hoc uerbo

Christus Sa-  
cerdos.

## ARGUMENTVM.

iuicat uita æterna . Nec uero ullus locus p̄ijs conscientijs est gratior, quam consideratio Sacerdotij Christi .

Christus  
Rex .

Ad regnum pertinet quod uicit regnum Diabolii, quod peccatum & mortem abolet, dato Spiritu sancto, & dat nouam & æternam lucem, iusticiam & uitam, quod depellit Diaboli potentiam, quod conservat Ecclesiam aduersus Tyrannos in hac uita, estq; defensor huius infirmiæ naturæ humanæ, contra Diabolum, & saevitiam mundi, Sicut alibi describitur regnum Christi, cum dicitur : Omnia subiecisti sub pedibus eius . Deniq; Rex est, quia liberat à peccato, & morte æterna, & dat uitam æternam .

Sed doctrina de Sacerdotio & regno non potest intelligi nisi nos eam, ad usum conscientiae nostræ accommodemus, ac credamus nobis esse donatam hanc uictinam, nobis esse Pontificem, nos uere propter hunc Pontificem exaudiri, nobis per ipsius uerbum promitti gratiam, & salutem, Item nos uere iuuari & defendi per hunc Regem . Sic intelligemus hanc doctrinam, & quidem sciimus necessarium, & ineuitabile mandatum esse ut haec credamus, ut applicemus nobis haec beneficia per uerbum, ut uerbo sic erigamus fidem . Haec Christianos intelligere oportet, ut teneant quid sit fides, & quomodo per uerbum excusatetur . Nam sine hoc exercitio non potest intelligi doctrina de beneficijs Christi . Sed haec copiosius in Enarratio=nedi=

## ARGUMENTVM.

ne Psalmi dicentur, nunc ista præfatus sum, ut summam  
Psalmi breuiissimè complecterer.

Nolo hic prolixè refutare Iudeos, qui hunc Rabini quo-  
Psalmum negant loqui de Messia. Facile enim refutari modo refu-  
possunt per hæc dñs, quod loquitur de Rege regnati- tetur ex hoc  
ro potentia diuina, cum inquit: Sede à dextris meis . Psalmo.

Item de æterno Sacerdote . Constat autem cæteros Re-  
ges & Principes nec æquari Deo, nec perpetuum re-  
gnum tenere . Cum igitur hæc dicta manifestè pertine-  
ant ad Christum, erunt & cætera ad cundem accom-  
modada, ut cohæret Psalmus. Hæc breuiter attigi,  
ut admoniti Studiosi, facilius possint refutare ineptas  
Iudeorum enarrationes . Quanquam constat eruditos  
Iudeos hunc Psalmum de Christo interpretatos . Sed  
nobis ipsius Christi testimonium sufficiat, qui cum de se  
ipso interpretatur . Et apparet quidem Iudeos commu-  
niter hoc sensisse , Psalmum hunc ad Messiam pertinere .

## b 1 Enarratio

# ENARRATIO

## PSALMI CX.

Dixit Dominus Domimo  
meo, sede a dextris meis.



Dixit Dñs.

Domino meo

OTVS Psalmus est quædam continua narratio, contingens descriptio-  
nes regni Christi. Sed aptissime &  
grauissime orditur narratione ab au-  
tore huius regni. Duo enim complecti-  
tur uerbum Dixit, uidelicet, quod ordinauerit hunc Re-  
gem Deus, & addiderit testimonium per uerbum, ut  
sciamus hoc regnum Deo placere, efficax & perpe-  
tuum fore. Cunq; proponit testimonium, postulat ut  
credamus, & fide hoc regnum amplectamur, ac sta-  
tuamus uerè nos bona illa consiqui, quæ in hoc regno  
promittuntur. Hæc initio in his duobus uerbis obser-  
uandasunt, Dixit Dominus. Additur autem Domino  
meo. De hac particula Christus ipse mouet disputatio-  
nem, si Messias est filius David, cui uocat eum Domini-  
num? non igitur otiosa est hæc appellatio, & de re  
questio est, an uerè Messias sit Dominus Davidis? Nā  
auctor generis, & Rex pari potestate nō est inferior  
posterior, inò iure naturæ maior est. Hæc non poterant  
explicare Iudæi, qui imaginabantur Christum tantum  
habitu

ENARRAT. PSAL. CX.

habiturum humanam naturam, propagatam à Davide,  
¶ tantum habiturū regnum mundanū. Hæc si ita es-  
sent, Christus non esset Dominus Davidis. Itaq; hæc ap-  
pellatio primum segregat regnū Messiae à regno Da-  
uidis, quasi sic dicat: Cōcionabor de promisso Rege, Regnū Mes-  
sed is habebit aliud regnū, quām hoc nostrum munda-  
num & peritum regnum. Agnosco igitur eum esse tur à regno  
Dominum, qui impertiet nobis, non hanc corporalem Davidis.  
defensionem, & liberationem à vicinis hostibus, iusti-  
tiam & pacem Civilē, sed alias rcs æternas, scilicet,  
liberationem ab illis malis, quibus oppressa est tota na-  
tura humana, à quibus ego David, & reges & regna  
mundi neminem liberare possent, scilicet, à peccato, ab  
ira Dei, à morte & diabolo. His malis pariter subie-  
cti sunt ipsi Reges mundi, sicut ceteri homines. Alius  
igitur Rex ueniet, qui ab his malis nos liberabit, & res  
æternas, iustitiam, & pacem æternā afferet. Ita prin-  
cipio discernit appellatio Domini duorū regna, & testa-  
tur David se loqui de alio Rege, non de mundano.  
Hoc primum in hac Particula considerari debet.

Porrò hic utrūq; obseruent studiosi, quod Chri-  
stus uocatur Dominus à rege. Pīs regibus est iucun-  
da consolatio, quod sciunt suum ministerium etiā scrui-  
re, & placere huic Domino, cum id dirigunt ad glori-  
am Christi. Rursus admonet etiam Reges mundi, ut  
agnoscant, hunc esse Dominum, obtemperentei, non  
perse-

Consolatio  
Magistratus  
Civilis.

## ENARRATIO

persequantur Euangelium, sicut paulo post Tyrannis  
minatur Psalmus.

**Appellatio Domini etiam naturas distinguit.** Secundo, & si appellatio Domini discernit re-  
gna, tamen Christus disputans cum Pharisæis, signifi-  
cavit etiam naturas discerni cum inquit: Si David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Taxat enim  
corum ignorantiam & impietatem, qui putabant Mes-  
siam tantum habiturum esse humanam naturam. Et si  
gnificat se Dominum Davidis esse, quia sit natura De-  
us, etiam si assumperit humanam naturam ex semine  
David, propter quam dicitur in scripturis filius Da-  
vid, ut Matthæi primo. Necesse est autem scire, quod  
sit scire quod Christus sit natura Deus, sicut ipse hoc inculcat Iohan-  
nus. 5.8. & 10. Ut enim inuocemus hunc Messiam,  
Deus. necesse est in eo uerè, & substantialiter esse diuinam  
potentiam.

Porrò sicut non intelligebant Pharisæi quale  
esset futurum regnum Christi, & qualia beneficia da-  
turus esset, scilicet nouam & æternam uitam, ita non  
imaginabantur inuocatione, & fide apprehenden-  
dum esse Messiam. Hos errores omnes taxat Christus,  
& testatur appellatione Domini discerni regna &  
naturas. Sed haec satis sit breuiter attigisse.

Sede a dextris meis.

Hæc est promissio de regno, quasi dicat: Hæc est  
mea

P S A L M I C X .

mcæ concionis summa, quòd Deus sit daturus Domi-  
no mco regnum, in quo pari cum Deo regnaturus est  
potestate. Nam sedere ad dexteram Dei, est regnare Quid sit sede  
pari potentia cum Deo . Hæc est Pauli interpretatio re à dextris.  
ad Ephesios primo, ubi inquit : Collocavit cum ad de-  
xtram suam in coelestibus super omnem Principatum,  
Et omnia subiecit sub pedes eius . Toton enim ille lo-  
cus apud Paulum ex hoc Psalmo decerptus est . Et ad Regnum  
Hebreos primo : Ferens omnia uerbo potentiae sue, Christi.  
per se facta purgatione peccatorum nostrorum, sedet  
ad dextram maiestatis in sublimi, tanto præstantior an-  
gelis &c. Hæc testimonia clare ostendunt hac figura  
sermonis significari potentiam supra omnes creatu-  
ras, Sicut Et Christus ipse inquit Ioannis primo : Pa-  
ter diligit filium, atq; dedit omnia in manu eius . Qui  
credit in filium habet uitam æternam . Item Matthæi  
ultimo : Mihi data est omnis potestas in celo & in  
terra.

Explicata figura sermonis, cogitemus quale  
regnum describat, & ad quid profit intelligere quòd Beneficia re-  
Christus regnet diuina potentia . Primum enim hæc gni Christi .  
ipsa descriptio , Sedc à dexteris meis, significat bene-  
ficia huius regni . Quia enim Christus tenet regnum  
Deo placens & æternum, significat daribeneficia spi-  
ritualia & æterna, quòd omnes qui adhærebunt huic  
Regi placebunt Deo, & consequentur æterna benefi-  
cia,

## EARRATIO.

cia, & alia quæ non possunt humana potentia parari. Hæc igitur sunt illa beneficia: Remissio peccatorum, iustificatio, donatio Spiritus sancti, & uita æterna, promissio quod Deus propter Christum exaudiat, libertas à tyrannie Diaboli, & à morte. Hæc beneficia breuiter significantur, quia tale regnum describitur, in quo adhaerentes Regi placebunt Deo, & habebunt æterna beneficia.

- Vñus I. Prodest autem intelligere hoc regnum, ut sciamus quæ beneficia petenda & expectanda sint à Christo, ne somniemus tantum mundanum regnum, sicut iudei somniabant. Secundo prodest intelligere, quod Christus diuina potentia regnet, & quia beneficia illa non possunt nisi diuina potentia præstari, necesse est nos tenere, quod ille Messias, quem inuocamus, possit & uelit exaudire, & quod sit fide apprehendendus, & expectandum ab eo auxilium, etiam si non cernitur oculis corporalibus, etiam si aliquando nos sint affligi, & omni genere eruminarum opprimi. Ergo cum haec uerba audis: Se det ad dexteram Dei, cogita primum, quæ beneficia in hoc regno promissa sint. Dcunde cogita ea tantum diuina potentia præstari. Tertio, cogita Christum inuocandum esse, & fide petenda & expectanda esse illa beneficia. Hæc omni longissime descripabant ab imaginationibus iudaicis, qui putabant regnum corporale fore,
- quod

PSALMI. CX.

quod armis, & humanis modis defendetur, & Christum praesentem dimicaturum esse cum Gentibus. Aduersus has carnales opiniones opponenda est sententia: Sede à dextris meis.

II. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Initium narrationis supra continet summam, quod uidelicet Christus regnaturus sit diuina potentia. Hæc est summa Psalmi, & principalis proposilio, quam his uerbis tradidit: Sede à dextris meis. Nunc attextit effectus & circumstantias regni, ac Primum pollicetur uictoriam huic Regi, & quidem diuinam. Ego, inquit Deus, subiçiam tibi inimicos tuos. Est autem Hæbraica phrasis in particula Donec, quæ nō significat hoc regnum aliquando desituru, Sede donec subiçero, sed est causalis, Sede à dextris meis, id est, habeto regnum diuina potentia, ut ego subiçiam tibi inimicos. Ac postea Psalmus aliquoties repetit sententiam de inimicis, quod Ecclesia sit futuram afflictionibus, sed hic Dominus cui tradit Deus regnum, uincet omnes hostes, & superabit afflictiones. Sic igitur accipiendæ sunt hæ sententiae, ut meminerimus nobis proponi consolationem in ærumnis ecclesiæ. Et in hac consolatione hoc spectandum est, quod Deus testatur se subiecturus

Donec.

## ENARRATIO

subiectorum esse inimicos. Ergo Christus erit efficax  
diuina potentia, item uerē curat nos omnes in illo re-  
gno, siquidem affirms se hostes oppressorum esse.

**Hostes regni Christi.**

Sed quis sunt isti hostes? Totum regnum Diaboli, id est, Diabolus, qui est auctor peccati & mortis, & armat genus humanum aduersus Christum, per peccatum & mortem, & incitat impios homines ut persequantur uerbum Dei. Hos hostes uincit Christus, abolebit peccatum & mortem, & destruet potentiam Diaboli, & omnium, qui persequuntur uerbum Dei. Alijs autem, qui adhærebunt Christo, nec peccatum nec mors, nec Diabolus nocere poterit, nec ulla tanta erit saeuitia mundi, quæ possit delere Christi regnum.

**Practicabu-  
ius loci.**

Quandoque igitur afflictiones impetum in nos faci-  
ent, erigamus nos hac uoce Dei: Sede à dextris meis,  
donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.  
Hoc est, sciamus Ecclesiam omni genere afflictionum  
exercendam esse, & tamen uictricem fore, quia Christus sedet ad dexteram patris, & Deus subiicit sibi  
omnes inimicos. Sicut Paulus Corinthiorum decimo  
quinto discernit regnum Christi certantis cum hostibus  
ab altero statu, in quo Ecclesia glorificata, & accepta  
hæreditate, iam cum Christo regnabit. Sed illud di-  
scrimen non constituet finem regni Christi, sed finem  
illius certamini in hoc regno. Ideo inquit: Oportet illum  
regnare, donec ponat omnes inimicos, sub pedibus eius,

Et

PSALMI CX.

¶ quidem adiecit sententiam, in qua describit hostes:  
Novissimus, inquit, inimicus mors est.

II Sceptrum regni tui emitte  
Dominus ex Sion.

Hic de loco incipit uaticinari, ubi hoc regnum  
sit inchoandum, ut conscientiae certò teneant, ubi ille  
Rex querendus sit, ubi agnosciposse. Est ergo sen-  
tentia, initium huius regni fore in Sion. Quomodo è  
Vtrumq; complecti ncessus est, personam ipsam et uer-  
bū quo regnum propagatur. Ipse Christus affuturus  
est in Sion, ipse dominabitur ibi (ut hic dicitur) & erit  
sacerdos, id est, prædicabit quoddā nouum uerbum,  
& habebit suum quoddam sacrificium, & uincet ibi  
hostes suos. Est igitur sententia, Sceptrum emittet, id  
est, inchoabit regnum uidelicet quia et persona ipsa Chri-  
sti aderit, & uerbum nouum ibi sparget, sicut Esaiæ 2.  
dicitur: De Sion exhibit lcx, & uerbum Domini de  
Hierusalem. Et de officio huius Regis. Esaiæ. 21. Ad an-  
nunciandum afflictus misit me, ut medear contritis cor-  
de, & prædicem captiuis indulgentiam.

Talia extant in Prophetis multa & illustria te-  
stimonia de regno Christi, quod in Sion sit inchoandum  
& quod uerbo administrabitur, non gladio, non ui-

c corporale

## ENARRATIO

corporali, & quidem, quod non Lex, sed aliud nouum  
uerbum annuntians salutem, propagandum sit.

## Dominare in medio inimico- rum. etc.

Antea de loco dixit ubi inchoandum sit regnum,  
nunc addit aliam circumstantiam, qualis sit regnum  
futuri. Obseruandae aut sunt Emphases uerborum. Ait  
dominaturum esse, & quidem inter inimicos. Primi-  
mum igitur pollicetur ei uictoriam, sicut aliquoties su-  
pradicatum est, & candem sententiam infra repetit.  
Hæc consolatio quantum uim habeat, non potest nisi in  
ueris certaminibus intelligi. Pij luctantur cum pec-  
cato, et cum morte, hic si animos erigunt hac sententia  
Christum uictorem esse peccati, & postulare ut pro-  
pter ipsum confidamus nobis ignosci, hac fiducia con-  
sequuntur ueram consolationem, iustitiam, & pacem.  
Sic invocatione Christi defendimur aduersus infidias  
Diaboli. Præterea tota Ecclesia in mundo ita concul-  
catur, ita negligitur uerbum Dei, ut uidetur futurum,  
ut statim extinguitur Euangelium & Ecclesia. Sed  
quia scimus Christum uictorem esse, & perpetuum reg-  
naturum, statuamus non posse opprimi Euangelium,  
sed mansuram esse Ecclesiam, etiam si immani seuitia  
mundus eam delere conetur. Ita fiet magis perspicu-  
us uersicolor, si accommodetur ad usum in certanti-  
bus

## P S A L M I C X.

nibus interioribus & exterioribus.

Est & in altera particula Emphasis, uidelicet,  
Inter inimicos. Significat enim habitum esse Me-  
siam acerrimos hostes, Diabolum, & membra Dia-  
boli, ac omnes impios, qui persequuntur sunt & ipsum  
Christum, & Euangelium, & omnes pi os credentes  
in Christū. Hi hostes describuntur statim in prima pro-  
missione, ipsum semen concubabit caput serpenti, et  
serpens mordebit calcaneum illius, id est, Christus ab-  
lebit regnum Diaboli, peccatum, & mortem. Sed contra  
Diabolus cum suo regno, ubi non uincet, lacerabit  
tamen Christum, & pios. Peculiariter autem uinci-  
natur hic Propheta de Iudeis defecturis & oppugna-  
turis Christū & Eu angelium. Testatur enim initium  
regni inter inimicos futurum esse. Significat igitur  
Principes, & præcipuum populi Iudaici partem hostes  
Christi fore, sicut & aliæ Prophetæ testantur. Apud  
Esiam dicitur. Et nos non reputauimus eum &c.  
Et apud Danielem scriptum est: Christus occidetur.  
Item, Populus esse desinet. Adhanc sententiam ac-  
commadari & hic Versiculus debet contra carnales  
opiniones Iudeorum, qui singunt Messiam corporale  
regnum habitum esse, & adiunctis Iudeis, domitu-  
rum exteras gentes. Sed Prophetæ docent futurum, ut  
ipse populus aduersetur & belligeretur cum Christo,  
imo ut Christus occidatur. Hinc manifestè sequitur,

\* ij regnum

## ENARRATIO

regnum Christi non esse corporale. Item qui occiditur non habet uictorias civiles. Hæc breuiter monere uoluimus, ut consideretur quòd sit applicandus uersiculus.

### III. Populus tuus sponte offeret tibi in die uictoriæ.

Si Israhel non erit adiunctus Messiae, quid igitur? Nullum ne populum hic Rex habiturus est, ad quem eius beneficia pertincent? Huic quæstioni ut occurrat, affirmat non defuturum esse populu, & qui dem addit de cultu. Sicut igitur Articulus in Symbolo iubet credere quòd sit Ecclesia Christi, ita hic affirmsat eis aliquem populum Christi. Magna autem consolatio proposita est in articulo de Ecclesia, cum scimus uerè ratas esse promissiones, quæ ad Ecclesiam pertinent. Scimus certò nos consequi beneficia Christi, & nos exaudiri. Esi igitur scandala perturbant nos, ut quæ sint uerè membra Ecclesiæ non possumus iudicio humano statuere, tamen illis scandalis opponimus hunc articulum, quòd sit Ecclesia, & populus Christi, & scimus promissiones huic populo factas, ratas esse. Est ergo hæc prima pars uersiculi, quod sit populus ad quem pertincent promissiones & beneficia Christi.

Quar-

P S A L M I C X .

Quare addit spontaneus , seu sponte offre-  
ret;

Primum hanc particulam opponit Ciiali regno ,  
quasi dicat : Messias non parabit regnum armis , sicut  
Alexander , aut Caius Cæsar , sed auditio uerbo adiu-  
gent se ei populi uolentes et nō coacti . Huc iam perti-  
nent sententiæ in Prophetis , quæ sic discernunt reg-  
num Christi à Ciilibus regnis , ut Mich . 4 . Non dissent  
ultra beligerare . Item Conflabunt gladios in uo me-  
res . Et Zachari . 9 . Destructur arcus belli . Ita hic ait  
uenturos sponte populos . Hæc planè noua forma erit  
regni uidelicet , ubi diuina efficacia huius Regis attrac-  
het populos , & immutabit eos , & impertiet nouam  
naturam , & diuinam lucem , & iusticiam , quæ non hu-  
manis modis , legibus , & armis , sed diuino motu effi-  
cietur . Primū igitur opposita est hæc particula Spon-  
tanei , regno Ciiali .

Secundo , ex priore Antithesi sequitur altera .  
Nam particula , Spontanei , opponitur uerbo legis , quod  
est ministerium mortis . Contra uero in nouo Testamen-  
to dabitur aliud uerbum , quod est ministerium , per quod  
datur Spiritus sanctus , & est efficax ut efficiat sponta-  
neum populum . Cum enim Messias sine uiolentia ,  
sine armis , sine poenis corporalibus adiuncturus sit si

c. iij bi popu-

## ENARRATIO

bi populum , necesse est aliud quiddam existere , quo at trahantur homines . Id cum non sit corporale , nec sit lex quae armat Magistratum , significat Propheta allatum eum esse nouum uerbum , quo sit efficax Deus in animis hominum . Ita in hac particula Spontanei , rursum significat quale regnum sit futurum , uidelicet talc , in quo regentur homines uerbo & potentia Dei .

Hæc est Secunda Antithesis , qua uocabulum Spontanei , opponitur Legi , & significat prædicationem noui uerbi , per quod datur Spiritus sanctus .

Sed restat Tertia Antithesis , quæ superioribus multum lucis adferet . Particula Spontanei opponitur iustitiae Legis , & uetus statu ac rebellioni naturæ humanae , in qua sine peccato , sine rebellione , sine morte præscribitur noua & uera obedientia . Et ut collationes superiores ostenderunt modum quo Messias reget , scilicet non politico more nec gladio , Item non Lege tantum , sed per Euangelium & Spritum sanctum : Ita hæc tertia Antithesis admodum significanter proponit effectum regni , seu administrationem , qualis uidelicet iste populus sit futurus . Et hac una præclarè complectitur illa ingentia beneficia quæ affert Christus , scilicet instauratio in naturæ humanae , qua sub lato peccato , & abolita morte , uiuent homines in quæ dan noua & perpetual uice , agnitione Dei , & perfecta obedientia . Hæc nouitas inchoatur in hac uita , sed post hanc uitam perficietur . Præcipue autem hic consi-

P S A L M I C X.

consideranda est causa, quare iusticia Legis non sit spontanea, & quid sit non esse spontaneum. Paulus inquit sensus carnis inimicitia aduersus Deum. Nec leue malum tam atrocibus uerbis describit, significat enim in natura hominis horribilem rebellionem, dubitatem, ac indignationem esse aduersus Deum.

Roma. 8.

Ideo quanquam præstatur externa obedientia utcunq; tamen non dicitur spontanea obedientia, cum illa rebellione, dubitatio, & indignatio hæreat in natura hominis, & haec peccata multo maiora sint, quam ut eorum magnitudo intelligi à ratione possit.

Cum igitur hic Propheta uaticinatur futuros populos spontaneos, non obscure concionatur de instauratione naturæ. Erit autem post resurrectionem in terna obedientia, & perfectè spontanea, sed in hac uita tantum est inchoata haec spontanea obedientia.

Dicam igitur quomodo in hac uita opponantur spontanei cultus, seu spontaneæ oblationes, iustitiae Legis. Nam haec quoque complectitur Psalmus, & uult discernere cultus noui Testamenti à cultibus Leuiticis, & significare abrogationem Legis, quasi dicat: Erit Ecclesia, etiam si hic populus & hi cultus Leuitici desinent, qui sunt umbræ, non sunt ueri cultus. Habebit autem Ecclesia Messie alios cultus præstantiores, uidelicet spontaneos, id est, ueros motus cordis, sicut ait Christus Ioannis 4: In Spiritu & ueritate oportet

## ENARRATIO

oportet adorare. Tales cultus non exhibet iustitia Legis, quia sine Euangelio & agnitione gratiae corda dubitant de Deo, fugiunt & oderunt iudicium Dei, non possunt uerè inuocare, inò tremunt aduersus Deum, & accusant eum, præsertim in afflictionibus, nec possunt obcedere, aut animos flectere ad patientiam, & insuis consilijs & actionibus præcipue expetunt carnalia, non anteferunt Deum, querunt opes, gloriam, aut uoluptates. Confidunt rebus præsentibus, cum in omnibus negotijs deberet mens intueri Deum, & omnia dirigere ad ornandam gloriam Dei. Cum igitur maneat tantum mundities in hominibus, etiam si audiant legem, & præstent externos cultus, & externa opera sine Euangelio ex noticia Christi, satis apparet talem obedienciam non esse spontaneam & ueram.

Econtra uero postquam per Euangelium agnoscent corda misericordiam propter Christum donatam, & fide eriguntur, ibi uere incipiunt inuocare Deum, concipiunt nouos motus, noticiam Dei, timorem, dilectionem, confitentur & ornant gloriam Dei, & incipiunt obedire in afflictionibus. Hi cultus sunt spontanei & spirituales, quia sunt ueri motus cordis, non externe umbras. Prædicatur igitur hic locus quales sint futuri cultus in nouo Testamento. Quare meminimus hos a nobis præstandos esse, uidelicet, timorem, fidem, inuocationem, dilectionem, patientiam, castitatem & similes

P S A L M I C X .

similes fructus spiritus , hos enim uocat spontaneas oblationes . Ex his omnibus intelligi utcumque potest , quare dixerit : Populi tui sponte offerent tibi . Quamquam enim collegerimus plures Antitheses , tamen omnes cohaerent , & alia ex alia oritur . Nam Spontaneū significat haud dubie ueros & interiores cultus instauratæ naturæ : Hinc reliqua sequuntur .

In ornatū sancto .

Phrasis est Hebraica : Dicor sanctus pro sacro ornatū , & splendida pompa . Et alludit ad Sacerdotes sacrificantes in uestitu sacro . Sic ait credentes Christo sacrificatores esse spontaneas oblationes , tanquam in Pontificia ueste . Sicut & Esaias inquit Cap . 61 . Vos autem Sacerdotes Domini uocabimini . Ac paulo post de ornatu loquitur . Et quasi sponsum uestiet Sacerdotio more . Quanquam autem ornatū Pontificius generaliter significat omnia dona Spiritus sancti , tamen præcipue significat ministerium Euangeliū & confessionem . Hic est principalis & summus cultus , quem comitantur deinde ceterae uirtutes , pacientia in afflictionibus , & alia bona opera , quibus glorificatur Deus . Docet igitur Psalmus quales oblationes requirat Deus , uide licet Sacerdotales , hoc est , prædicationem Euangeliū , confessionem , pacientiam in cruce , & ceteras uirtus

## ENARRATIO

tes, quibus glorificatur Deus. Sicut Petrus inquit, nos  
ne catus esse, ut uirtutem Dei annunciemus. Ita ordi-  
nare docet hic uerius quod sit Ecclesia Christi non armis  
constituta, sed uerbo & efficacia Dei. Deinde quod  
Ecclesia illa sit exhibitura nouos cultus spirituales, non  
Leuiticos, non iustitiam Legis. Et quidem cultus ille  
erit quoddam Sacerdotium, prædicatio & confessio  
Euangelij, ut Deus innotescat, & gloria Christi cele-  
bretur. Ita apte pingit hic ueriuscula totam Ecclesiam,  
& docet qualis esse debet, & quales cultus præstare  
debeat. Hæc de sancto ornatu & de ministerio  
Euangelij.

Ex utero auroræ tanquam ros  
oritur generatio tua.

Etsi autem alij aliter hunc uersum interpreten-  
tur, tamen uidetur maxime concinna interpretatio de  
natiuitate Christi ex Maria uirgine. Hanc Natiuita-  
tem comparat rori missio diuinitus, & coniungit rorem  
acuterum, quasi dicat: Veniet ille Rex, & uere naſce-  
tur ex utero, erit uerè homo natus ex posteris Davi-  
dis, sed tamen ut ros diuinitus missus, sine virili ſemi-  
ne, & habebit carnem ſine ullo peccato, ſine ulla im-  
mundicie.

Non

PSALMI CX.

Non reprehendo aliorum interpretationes, si quis eas mauiit sequi. Aliqui de populo exponunt, Nascetur tibi populus, tanquam ros, hoc est, olim filij Israhel propagati sunt generatione carnali, nunc populus Dei propagabitur generatione spirituali per uerbum Dci, et Spiritum sanctum. Veteres transtulerunt hunc uersiculum etiam ad æternam generationem filij Dei, & urgabant particulam manc prodijt, uel ante luciferum uel auroram, quasi sit significatū, antc omnes creaturas natum esse filium Dei. Sed memuent appellationes uteri & roris, ut uideatur hic uersiculus magis conuenire ad generationem cx uirgine, Præsertim cum Propheta concionetur de Christo ueniente iam in mundum, & inchoante hoc regnum uisibiliter. Et uteri appellatio magis quadrat ad generationem uisibilem, ac similitudo de rore cadente aptius significat nascentem Christum, sine contagio & sine uirili semine, ac uenientem in mundum uirtute cœlesti, sicut Lucæ primo scriptum est: Virtus altissimi obumbrabit tibi.

III. Iurauit Dominus, & non pœnitibit eum.

Hactenus uaticinatus est de Rege Christo,  
quod

## ENARRATIO

quod sit Rex regnaturus diuina potentia, quod initium regni futurum sit in Sion. Item qualis sit futurus populus. Item futurum, ut uerē & tamen mirabilimodo nascatur. Nunc incipit concionari de Sacerdotio Christi, nec ullus est locus in Prophetis, qui ita clare appellat Christum Sacerdotem, & describat modum Sacerdotij, ac discernat à Leuitico Sacerdotio.

Iuramentū  
Dei, quid  
sibi uelit.

Orditur autem à iuramento, quod non est obiter aspiciendū. Et si enī Dei promissā sine iurciurādo rata et firmasunt, tamen addit ius iurandū, ut infirmitati, ac dubitationi nostrae opponamus non solum promissiones, sed eternum iuramentum Dei, & non si namus nobis excuti fidem ullis scandalis. Fides enim oppugnatur innumerabilibus modis. Primum enim conscientia peccati reclamat in nobis, iudicamus nobis, cum simus indigni, non contingere tantum beneficium, ut Deus nos recipiat in gratiam, ut curat nos, ut exaudiat, ut det uitam eternam. Deinde, interim dum credimus, subiçimur afflictionibus, quare non uitam, sed mortem, & summas aerumnas, uidemur consequi. Aduersus hęc scandała opponenda est ista vox: iurauit Dominus. Et ius huius iuramenti nō potest intelligi, nisi in uera lucta. Tertullianus, cū de remissione peccatorum loquitur, urgct ius iurandum: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Ita & hoc iuramentum, si proponemus nobis in uero pauore, tum deum sentiemus.

P S A L M I C X.

tiemus quantum uim habeat. Nec opus est longa enarratione, Vsu hic uerisiculus in consolanda conscientia, et in invocatione fit illustrior & dulcior. Quoties incipimus orare, cogitemus de Pontifice Christo, ueniat nobis in mentem huius iuramenti, & credamus uerè nobis præstari ea, quæ per hunc Pontificem promissa sunt.

Porro hoc iuramentum saepe in scripturis repetitum est. Psalmo 131. Iurauit Dominus David ueritatem, & non frustrabitur eum. Et Lucæ 1. Iusurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum etc. Id coq; Esaias ait Ca. 55. Feriam uobis cum pactum sempiternū, misericordias David fideles, id est, promissionem gratiae factam Davidi, ratam, firmam, quæ præstabitur sine ulla dubitatione. Sed haec mentio iuramenti, & tam crebra repetitio, ita demum erit grata, cum eam nobis inculcabis ad fidem erigendā & confirmandam. Hoc modo exaggerat iusurandum & Epistola ad Hebreos Cap. 6. Abundantius uolens Deus ostendere heredibus incredibile consilium suum, interposuit iusurandum, ut propter duo inevitabilia, tenueremus firmam consolationem, confugientes ad obtainendam propositam spem, quam habemus tanquam ancoram animæ firmam, & inconcussum. Haec de iure iurando, nunc uidendum est de sacerdotio.

Tunc

ENARRATIO

Tu es Sacerdos.

Non solum ait hunc Messiam futurum esse Regem, qui pari potentia regnet cum patre, qui sit uictor peccati & mortis, & sit defensurus suos aduersus saeuitiam Diaboli & mundi, uerum etiam tribuit ei appellationem et officia Sacerdotis, seu Pontificis, uidelicet, quod placet nobis patrem, quod interpellat pro nobis. etc. Hæc est enim dulcisima consolatio, intus Christum Pontificem, et complectitur præcipuum beneficium Christi, uidelicet remissionem peccatorum, et summanam consolationem aduersus terrores Legis, accusantis peccata et conscientia indignitatis nostræ, ac perpetuam infirmitatem nostram. Testatur etiam quod regnum Christi nō sit administratio corporalis aut Politica, quia Christus Rex, simul est Sacerdos placans nobis patrem, affercens et impariens nobis bona spiritualia, remissionem peccatorum, consolacionem et liberationem aduersus terrores peccati et iudicij Det.

Sed ut beneficia Christi Pontificis clarius conspici possint, primum in genere dicam de ratione Sacerdotij, seu de officijs Sacerdotis. Hæc tradit ipsa definitio Sacerdotis. Sacerdos enim est persona à Deo constituta, ut sit mediator inter Deum et homines, habens ius placan-

P S A L M I C X .

placandi Deum , orandi , & intercedendi pro alijs et  
prædicandi uerbum Dei .

Sunt igitur tria officia Sacerdotis . Primum præ dicare uerbum Dei , seu ministerium docendi , iuxta illeccerdotum Iud Malachiæ secundo : Labia Sacerdotis custodiunt quid-  
scientiam , et populus requiret legem ex ore eius , quia angelus Domini exercituum est . Hic locus testatur Sacerdotis officium esse , ut afferat ad homines uerbum Dei , et doccet eos de uoluntate Dei , ut agnoscatur Deus , et uerè colatur ac glorificetur . Ideoq; uocatur angelus Domini , hoc est à Deo uocatus ad docendum , et habens mandatum ut doceat , et afferens testimoniūm uocationis et doctrinæ , sicut et ad Hæbreos . 5 . dicitur , Nemo sibi p̄f̄ sumat honorem , sed qui uocatur à Deo , tanquam Aaron . Itaq; docendi officium propriè ad Sacerdotem pertinet , nec faciunt officium Sacerdotum , qui neglecto mandato docendi uerbum Dei , tantum Leges condunt de Ceremonijs , atq; ex-ternis ritibus , aut exercent tantum Politicam et cor-  
poralem administrationem .

Secundū officium Sacerdotis est , placare Deum , seu offerre Deo pro alijs , ut ipsis placetur Deus . Hoc est præcipuum munus Pontificis , et cuius causa maxime opus est Pontifice , uidelicet , ut Deus place- tur . De hoc inquit Epistola ad Hæbreos . Omnis Ponti- sex ex hominibus assumptus , pro hominibus constitui- tur

I.

II.

## ENARRATIO

tur in his quæ sunt erga Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Necesse est igitur Sacerdotem habere sacrificium aliquod seu victimam, quæ offeratur Deo tanquam precium, propter quod uelit esse placatus. Sed de ratione sacrificij & discrimine sacrificiorum alibi dici solet, & infra repetetur, cum de sacrificio Christi Pontificis, dicendum erit.

III. Tertium officium Sacerdotis est orare, seu interpellare pro alijs apud Deum, & impetrare hominibus beneficia divina. Hæc tria officia in Legi requiruntur à Sacerdotibus. Primum enim de doctrina mandatur Leuitici 19. Cap. ut doceatis filios Israhel omnia legitima mea, quæ locutus sum uobis. Deinde plurima est mentio sacrificandi et orandi pro populo, sicut dicitur ibidè: Et portetis peccata populi, et rogetis pro eo. Et saepe repetitur: Si quis peccauit, tradet oblationem suam Sacerdoti, qui rogabit pro eo, et dimittetur ei etc.

Hæc tria officia propriè et principaliter conueniunt Christo. Primum enim ipse affert uerbum Dei ignotum rationi, uidelicet, claram promissionem de remissione peccatorum et uita æterna. Sicut scriptum est Ioannis primo: Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit, id est, hanc uoluntatem Dei, quæ in Euangelio reuelatur de gratuitate remissione, et saluatione, nulla ratio humana persc.

P S A L M I C X.

per sc̄se deprehendit, sed tantum reuelatur in promis-  
sionibus de Christo, & per Christum. Et omnes Ponti-  
fices seu Sacerdotes, qui Deo placuerunt ab initio mun-  
di, ita fuerunt ueri Sacerdotes, si has promissiones de  
Christo tradiderunt, has si non tradiderunt, fuerunt  
fictitiū Sacerdotes, non ueri. Et quia Lex sine promis-  
sionibus de Christo, nec prodest ad salutē, nec intelligi-  
tur, ita Pontifices Leuitici, quando Legem sine pro-  
missionibus de Christo tradiderunt, erant titulo tenus  
Pontifices, non re ipsa, nec iam suae uocationi seruie-  
bant. Quare contra eos excitabantur Prophetæ, qui  
illos, et si uidebantur tenere ordinariam potestatem,  
iuste reprehendebant. Multo minus Pontifices, aut  
Sacerdotes sunt, qui tantum humanas traditiones do-  
cent, sicut hoc tempore aduersarij nostri defendunt  
humanas traditiones, & has anteferunt Legi Dei, &  
inter ea Euangeliū, hoc est, doctrinam de fide, dam-  
nant, & opprimere conantur. Ergo reuera apud il-  
los non est Sacerdotium. Principaliter itaq; Christus  
est Sacerdos, per quem reuelatur promissio Euangeli-  
ca. Deinde propter hunc Pontificem, & uerbum ab  
ipso reuelatum, ministri eius quatenus hoc uerbum præ-  
dicant, sunt & ipsi Sacerdotes.

Secundum officium, est maxime proprium uni  
Christo, esse mediatorem & placatorem, & offerre hostię  
am, seu sacrificare pro nobis. Nam huic personæ  
d Christi

## ENARRATIO

Christi est tradita promissio, quod pater eum exaudiat  
et eius sacrificium recipiat pro credentibus. Quid  
igitur fuerunt sacrificia Patrum ab initio mundi, et  
Leuitica, cum sint diuinitus instituta? Respondeo.

Sacrificia. Nec patres fuerunt mediatores seu placatores, nec sa-  
patru et sacrificia eorum fuerunt propiciations, seu satisfactiones  
legis quae nes pro peccatis invenientes remissionem peccatorum,  
lia. sed fuerunt tantum Typi uenturi Christi, et mortis  
eius. Hæc doctrina uisa est extreme impia sacerdoti-  
bus in populo Iudeorum, qui habebant hanc persuasio-  
nem, se offerre pro populo, et sua sacrificia esse pro-  
pitiationes. Sed hanc opinionem damnat Epistola ad  
Hæb. quæ inquit: Impossibile est, sanguine taurorum  
et hircorum auferri peccata. Idem docent innumera-  
biles contiones in Prophetis, ut Psalmus. 50. Nunquid  
manducabo carnem taurorum, aut sanguinem hircorum  
bibam? Psalmus. 30. Holocaustum pro peccato non  
postulaisti. Et Ieremiæ. 7. Non sum locutus cum patri-  
bus uestris de holocaustis. Tales Contiones uideban-  
tur aperte pugnare cum Lege, ideo impij Sacerdotes  
interficiebant Prophetas. Verum Prophetæ non sa-  
crificia diuinitus instituta, sed falsam persuasionem Sa-  
cerdotum reprehendebant, qui arbitrabantur sacrificia illa esse propiciations, et mereri gratiam.  
Proinde cum Esaias de Christo inquit: Ponet animam  
suam hostiam pro peccato, significat non abolitum esse  
peccata.

P S A L M I C X.

peccatum Leuiticis hostijs, Sed adhuc restare uiuant hostiam, & propiciacionem, quæ peccatum abolitura esset, uidelicet ipsum Christum moriturū pro genere humano. Cum igitur Leuitica Sacerdotia non sint propiciaciones, id est, non mercantur remissionem peccatorū, et si sunt instituta diuinitus, quanto minus cultus excogitati ab hominibus merentur remissionem peccatorum: immo tales cultus sunt simpliciter abominationes.

Conuenit & Tertium officium principaliter ad Christum, uidelicet, orare pro alijs, & impetrare eis remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & alia bona. Nam hic Christus habet promissionem, quia pater testatur se ipsum exauditum esse, Et exerceat hoc officium Ioannis. 17. cum ait: Rogo non pro eis tantū, sed pro omnibus, qui credituri sunt per uerbum corū. Hec est uerē Pontificis uox, quæ offert uberrimam consolationem, si uerē credemus hunc Pontificem pro nobis apud Deum interpellare, & has preces non esse irritas. Nec tantum orat pro nobis hic Pontifex, sed etiam testatur se esse talem intercessorē, propter quem Deus nos exaudiens sit, qui nostras preces perferat ad patrem, sicut docent promissiones: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Quasi dicat. Petendum esse, non propter dignitatem nostram, sed propter ipsum Pontificem, sic petentes Deus exaudiens. Non igitur alij intercessores querendi sunt, sed mens

Tertium officium Sacerdotis.

d ij hung

## ENARRATIO

hunc unum mediatorem intucatur, et discat uerè propter ipsum petere, et expectare bona à Deo, sicut inquit Epistola ad Hæb. Habentes talem Pontificem, accedamus cum fidutia ad thronum gratiæ.

Hactenus dictum est Christum principaliter et propriè esse Pontificem et Sacerdotem. Quatenus autem imperiat credentibus suum Sacerdotium, et efficiat nos quoq; Sacerdotes, postea addemus. Prius enim præxcnda est descriptio Sacerdotij, que hoc loco ponitur. Sequuntur enim insignes particulae, quæ discernunt Sacerdotium Christi, à Sacerdotio Leuitico.

## Sacerdos in æternum.

Christus æ-  
ternus Rex.

Hec est noua descriptio, et nihil congruens cum Leuitico Sacerdote. Vocat enim hunc Christum Sacerdotem æternum. Initio autem constitendum est, quandocunq; fit mentio Christi, quod sit æternus Rex, sicut Psalmus .71, et alibi intelligit hanc perpetuitatem de ipsa persona Christi, non de propagatione Successorum, sed significatur ipsam Christi personam esse perpetuam, sicut hic inquit: Tu es Sacerdos in æternum, de persona loquitur, non de Successione.

Hoc postquam constitutum est, multa sumuntur ex talibus locis de æterno Rege, aut Sacerdote. Primum enim hi loci sunt testimonium de æterna Christina-  
tura

P S A L M I C X.

tura, quod sit aeternus Dei filius. Sicut & Michæas  
inquit cap. 5. Egressus ciuis ab initio a diebus aeternis,  
uel ante dies mundi. Eadem enim sententia est. Testa-  
tur eadem particula, quod Christus uiuet aeterna uita,  
sicut Esaias inquit cap. 9. Pater futuri saeculi, seu pa-  
ter aeternæ uitæ. Ergo necesse fuit Christum resurge-  
re, & ipsum tenere regnum, & fungi Sacerdotio.  
Hæc primum de persona considerentur.

Sed Propheta non tantum de persona loquitur,  
uerum etiam de ipso modo Sacerdotij. Haud dubie enim  
uult discernere Sacerdotium Christi a Sacerdotio Leui-  
tico. Sacerdotium Leuiticum non est perpetuum,  
nec unus Pontifex perpetuo uiuit, nec hostiae sunt uiuae  
aut efficaces, sed tantum umbræ, quæ non abolent pec-  
catum & mortem. Ideo & totum ministerium Legis  
fuit institutum, ut duraret ad tempus, donec exhiberen-  
tur res significatae per illas umbras, id est, iusticia et  
uita aeterna. Econtra uero, in hoc Sacerdotio, idem  
Pontifex perpetuo uiuit, nec est otiosus, sed postquam  
semel obtulit corpus suum, & factus est uictima pro  
peccatis nostris, nunc perpetuo agit Pontificem, id est  
est mediator & deprecator pro nobis apud patrem,  
& conseruat in Ecclesia uerbum suum, dato Spiritu san-  
cto, & sanctificat homines, ut ueros cultus exhibeant.  
Ita ipse Pontifex est perpetuus, sicut & cultus perpe-  
tui, uidelicet non mactationes pecudum, non uestium,

d uij & cī

## ENARRATIO

Et ciborum ritus, sed res perpetuae, scilicet, agnatio  
Euangelij, fides, inuocatio Dei, et tota uita spiritua-  
lis, scilicet, uerus timor Dei, uera dilectio, et glorifica-  
tio, ac spiritualis obedientia, sicut Paulus inquit: Re-  
gnum Dei non est esca, nec potus, sed iusticia, pax, et  
gaudium in Spiritu sancto.

Quoties igitur scriptura uaticinatur de perpe-  
tuore regno, aut perpetuo Sacerdotio Christi, memineri  
mus refutari iudeorum opiniones, qui somniant Chri-  
stum regnum sive mundanam Politiam, Item Sacerdotis-  
um, fore seu Leuiticas seu alias ceremonias. Quia ille-  
res corporales non sunt perpetuae. Deinde et illud  
sciamus in talibus dictis describi Christum, quod sit in  
uocandus. Si enim erit noster Pontifex et Rex, eti-  
amsi uiuet uita eterna et inuisibiliter, tamen opos-  
tit eum fide agnoscere, inuocari etc. regnabit igitur inui-  
sibiliter diuina potentia.

Tertio, promittunt haec dicta nobis uitam eter-  
nam. Quia enim Sacerdotium est aeternum, necesse  
est non umbras cultuum uerorum, sed ueros cultus in  
hoc nouo Sacerdotio existere, uidelicet, perpetuam ag-  
nationem et glorificationem Dei, perpetuam iusticiam  
et uitam. Scut Prophetae sepe de hac perpetua uita  
et noua obedientia concionantur. Ut Esaias. 61. Et  
dabo opus eorum in ueritate, et foedus perpetuum fe-  
riam cum eis, id est, efficiam ut cultus sit firmus, sta-  
bilis,

P S A L M I C X.

bilis, uerus, non situs in pecudibus, quæ moriuntur,  
nec in extrema simulatione ceremoniarum, sed in uera  
luce spiritus, in uiuo timore Dei, & fide, & leti-  
cia cordis perpetua. Simul igitur requirit tales spiritu-  
ales cultus in nouo Testamento, & rejicit ceremonias  
**Leuiticas** & similes.

Quarto, & tamen cum sit sacerdotium quod  
in nobis erit efficax, necesse est aliquod exterrnum mi-  
nisterium esse, scilicet prædicationē Euangelij. (Euan-  
gelion enim etenim est res externa, quod ad prædica-  
tionem & confessionem attinet.) Hic igitur consolatur  
nos haec particula de æternitate. Significat enim non Euāgelij do-  
posse opprimi aut deleri Euangelium, etiam si Diabo-  
lūs & Tyranni omnibus viribus oppugnant, sicut & quam oppri-  
metur Christus in Euanglio inquit: Et portæ in strī non præ-  
ualebunt aduersus eam. Impij & imbecilles mouen-  
tur saeuia Tyrannorum, & scandalis omnis generis,  
ut existiment statim funditus interituram esse Ecclesiā,  
sicut Iudei planè extinctam esse putabant post mortem  
Christi. Multi nunc quoq; desperatione quadam ab-  
iiciunt doctrinam Euangelij, quia metunt non dura-  
turas esse Ecclesiās nostras, uel quia Tyranni eas per-  
sequuntur, uel quia apud nos nihil firmi constituitur,  
uel quia paucos habemus eruditos doctores, & poten-  
tes defensores, uel quia multa alias scandala exoriuntur,  
Anabaptistæ, & aliæ fanaticæ sectæ. Hæc scandala  
d iij confir-

## ENARRATIO

confirmant odium aduersus nos in impijs, et deterrēt  
a nobis imbecilles. Quare pīj docendi sunt, ut sciant  
talia pericula impendere Ecclesiæ Christi, & se erigant  
& confirmant talibus sententijs, quæ pollicentur Ec-  
clesiam & uerbum Christi non posse opprimi, etiam si  
a Diabolo, & mundi saevitia uarie oppugnatur.

## Secundum ordinem Melchize- deck.

Non cū usitata hæc descriptio Sacerdotij secun-  
dum ordinem, seu ritum, seu morem Melchisedech.  
Nam Leuiticum Sacerdotium cū institutū uerbo Dei,  
ut notum cū ex descriptionibus multis in Lege tradi-  
tis. Ideo hic textus magnam parit admirationem om-  
nibus, quid sibi uelit hæc inusitata descriptio, ac satis  
apparet Prophctam spiritualibus oculis, ac multo alti-  
us introspexisse locū in Genesi de Melchisedech, quam  
alios Lectores.

Primum autem hoc constituamus, hanc particu-  
lam opponi Sacerdocio Leuitico, qua si diat, Christum  
fore æternum Sacerdotem, non secundū ordinem Leui,  
sed secundum ordinem Melchisedech. Hanc collatio-  
nem nce ssc cū declarari. Tametsi Sacerdotes Leu-  
tici prædicabant etiam promissiones de Christo, tamen  
id non.

PSALMI CX.

id non erat ipsorum proprium officium, sed erat Propheticum. Inter ea Leuiticum Sacerdotium propriè erat mandatum docendæ Legis, nec erat mandatum remittendi peccata, nec usquam tradit mandatum apertum de remissione peccatorum, nec docet de gratuita remissione, & requirit nostram obedientiam, arguit peccata & proponit maledictiones. Deinde addit quasdam externas ceremonias propter Leuiticum usum. Hæc est summa Leuitici ministerij

Econtra ut ostendamus, quid sit Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, Primum considerandum est locus in Genesi Capite. 14. ait textus Melchi dech quod fuisse Sacerdotem Dei altissimi, & is benedicit lis Sacerdoti Abraham ex prælio, post profugatos quatuor doss Reges.

Primum igitur Sacerdotium secundū ordinem Melchisedech testatur Sacerdotium Christi liberū esse, à ceremonijs Leuiticis, quia Melchisedech Sacerdos fuit antequam institutæ essent ceremoniæ Leuiticæ. Quare cum illæ fuerint ignotæ Melchisedech, etiam nihil pertinebant ad Christum. Et hoc argumento constat Iudeos saniores ualde moueri, cum disputatione requiri ceremonias suas.

Secundo, quale autem sit Sacerdotium remoto Leuitico, postea dicam, necesse est enim aliud spiritu ale poni. Sed prius de persona dicam: Hieronimus ad

## E N A R R A T I O

Melchise- Euagium recte reprehendit Origenem, qui scripsit  
dech quis. Melchisedech fuisse angelum, & hanc sententiam ait  
secutum esse Didymum, & quosdam alios. Deinde ad  
dit sententiam Hebreorum, qui scripscrunt Melchise-  
dech esse Sem, filium Noah, qui in illis locis fuit Sacer-  
dos. Patres enim ita propagabant uerbum Dei com-  
mendatum filijs. Sicut igitur Noe ministerium uerbi  
Dei accepérat diuinitus, ita filio Sem & ministerium  
& uerbum commendauit. Et haud dubie propter hoc  
ministerium tam diuturna fuit uita Sem. Vixit enim  
post mortem Abrahæ annos .35. Libenter itaq; assen-  
tior Melchisedech esse Sem. Viuebat enim in illis lo-  
cis, & habebat à patre traditum ministerium, & fuit  
haud dubie prædictus summis dotibus, & erat ex maiori-  
bus Abrahæ, ut in Genesi cerni potest.

Salem. Josephus Salem ait eam esse urbem, quæ postea  
Hierusalem nuncupata est. Hieronimus autem dicit  
aliud fuisse oppidū in Samaria scilicet in Ephraim. Sichem  
est, quæ tunc uocabatur Salem, ut testatur locus in Ge-  
nesi Capite, n. quæ à Hierosolimis distabat fortasse .12.  
nosteris miliaribus. Et Hieronimo assentior.

Tertio, Præcipua differentia est in hoc Sacer-  
dotio quod Melchisedech est Sacerdos expresse benc-  
dicens, & promittens Abrahæ auxilium Dei. Nam  
Lex arguit peccata & proponit maledictiones.  
Econtra uero, quia promissiones ob hanc ipsam causam  
traditæ

P S A L M I C X.

traditæ sunt, ut certam consolationem haberemus, gratis ipsæ promissiones annunciant remissionem peccatorum, & gratiam Dei. Ideo benedictio Melchisedech sine Lege facta, uerè annunciat Abrahæ remissionem peccatorum, & ille hanc fide excipiens non efficiebat incertam, sed statuebat ratam esse sine conditione propria dignitatis. Sicut igitur Melchisedech annunciat gratuitam & ratam benedictionē, ita Christus afferat gratis remissionem peccatorum.

Hæc est principalis conuenientia Sacerdotij Melchisedech ad Sacerdotium Christi, sicut & hæc principalis differentia est et maxime perspicua legis et Euangeli, quod Lex nō promittit gratis remissionem peccatorum, immo accusat & damnat omnes. Euangeliū uero promittit gratis remissionem peccatorum propter Christum. Et hæc contio Melchisedech declarat effectus benedictionis, uidelicet, cum addit de auxilio, quod Deus protegat Abraham, & adiuuat in prælio. Non enim ociose intelligi debet remissio peccatorum, sed cum Deus remittit peccata, recipit nos in gratiam, sanctificat, gubernat, & adiuuat spiritu sancto, & nos uicissim uerè agnoscimus Deum irasci peccato, & uerè ignorare credentibus & inuocamus ipsum, & obediens ei incipimus. Ita inchoatur in creditibus noua & æterna uita, & Deus presto adest inuocantibus, & defendit, ac adiuuat eos in periculis,

cif

## ENARRATIO

et si exerceri eos sinit, sicut Christus inquit: Non relinquam uos orphanos. Et Psalmus. Nunquam uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Estigitur benedictio illa Melchisedech non imago aut umbra Euāgelij, sed est ipsa administratio Euāgelij continens promissionem, quæ testatur Dicū esse propitium Abrahæ & auxiliatorem. Talis benedictio est reuera annuntiatio remissionis peccatorum et gratiæ, qualis prædicatur in Euāngelio. Et hoc est uerum Sacerdotium, concionari de hac uoluntate Dei remittentis peccata, & de auxilio Dei.

Hæc contio longè differt à Lege. Cum igitur inquit secundum ordinem Melchisedech, describit Sacerdotium noui Testamenti dissimile Leuitico. Legitimum tradit Legem, arguit peccata, proponit maledictiones, nequaquam offert gratis remissionem peccatorum. Deinde requirit externos cultus, uarias & corporales ceremonias ad Politiam istius populi utiles. Sed contra Sacerdotium noui Testamenti affert beneficitionem, hoc est, remissionem peccatorum gratis propter Christum, & auxilium Dei, in tollendo peccato, & toto regno peccati, ut adiuuemur, & abolito peccato, tandem nos renouati nouam & æternam lucem, & uitam consequamur.

Hæc sunt beneficia Euāgelij, seu Sacerdotij Euāgelij, quæ omnia complectitur benedictio, qualis in hoc

P S A L M I C X.

in hoc loco proponitur, quam magis intelligemus, si applicabimus ad nos singuli, hoc modo, uidelicet ut sciamus ipsum Christum esse hunc Pontificem, benedictentē Vſus Sacer nobis, & promittentem auxilium Dci, defendantem docij Christos, & sacrificantem, & resuscitantem a mortuis. Ad sti-  
moneat igitur nos exemplum huius loci de Melchise-  
dech, ut prorsus nos ipsos sic benedici a Christo statua-  
mus. Hoc si crederemus, illa uero ingens esset con-  
solatio. Sicut haud dubie Abraham concepit mirificam  
consolationem & læticiam ex hac concione Pontificis  
Melchizedech.

Deinde sciamus uerbum ipsum Euangelij, per omnes ministros annunciare hanc benedictionem, per-  
inde ac si Christus ipse hanc renunciaret, & Christus est per hanc prædicationem efficax. Ita omnes audi-  
entes Absolutionem, aut uocem Euangelij, cogitent se tali loco stare sicut Abraham, & audire uerū Pontifi-  
cē benedictentē. Sed contra, rarissic afficiuntur, sicut affi-  
ciebatur Abrahā, quia non intelligūt sic ad se pertine-  
re illam uocē, sicut Abraham statuebat ad se pertinere  
benedictionem Melchizedech. Ideo non addunt uoram  
fidem, sed sine ullo affectu audiunt. Dixi de principa-  
li interpretatione, quare dictum sit secundum ordi-  
nem Melchizedech, uidelicet ad discernendum Euange-  
lium, quod annunciat benedictionem, à Lege, quae pro-  
ponit maledictionem.

Olim

## ENARRATIO

Quomodo rituū . Sicut Melchisdech obtulit uinum & panem , ita nunc in cena Domini panis est communicatio cor-  
poris Domini , & uinum sanguinus . Hæc fuit collatio  
sumpta ab externo riu . Nos autem antea contulimus ,  
non externos ritus , sed principales partes Sacerdotij ,  
id est , quale uerbum , & quæ beneficia sint utriusq; Sa-  
cerdotij . Hæc principalis collatio primum est tenen-  
da . Et de hac loquitur Prophetæ . Hæc est utilis con-  
scientijs , & illustrat Euangelium . De collatione ri-  
tuū nihil opus est dici , & tamen si quis hanc quoq; ad  
iijcere uult satis concinna est Allegoria . Exercitui fe-  
so opus erat cibo & potu , idco occurrit uicinus Print-  
ceps & Pontifex , & affert illis cibum & potu , ad re-  
ficienda corpora . Hæc est in historia uera & simplex  
Historia de Melchise- sententia . Si quis autem de oblatione pugnat , non re-  
dech . Existimo & ego sumpsisse Melchisedecum , ue-  
terimore partem panis & uini , & libasse , id est , ob-  
latione facta egisse gratias Deo pro uictoria , pro ipso  
cibo , & pro omnibus beneficijs . Hic mos fuit usita-  
tus Patribus . Sed non est affingendum , quod hæc gra-  
tiarum actio fuerit Sacrificium applicandum alijs , ut  
mereretur eis remissionem peccatorum , & quidem ex  
opere operato . Verum Gratiarum actio erat opus  
fidei , non pro alijs ualens , sed placebat in isto , tanquam  
in reconciliatio propter fidem , sicut ipsius propria con-  
fessio

P S A L M I C X .

confessio. Quemadmodum notum est discrimin inter Sacrificium propiciatorium &  $\delta\iota\chi\alpha\epsilon\iota\varsigma$  mou'. Sed si hoc modo conferatur ad coenam Domini nihil est inco modi. Certè in cœna Domini fit sanctissima libatio, hoc est gustato corpore & sanguine Domini agimus gratias pro tanta uictoria, qua Christus uicit peccatum et mortem, et nobis cōmunicat suam uictoriā, ac testa tur nos quoq; liberatos esse à peccato, et à morte æter na. Et hæc gratiarum actio facienti prodest non meretur alijs remissionem peccatorum, sed est in uerè cœ dentibus uua, et ardens consolatio conscientiæ. Talis Gratiarum actio uocari potest Sacrificium, non applicandum pro alijs, ut mercatur eis remissionem peccato rum aut alia, Sed quia est opus placens in reconciliatio, sicut obedientia in afflictionibus aut confessio, sicut Scriptura æpe loquitur de Sacrificio laudis. Hæc ad ieci propter usitatam Allegoriam, qua ad coenam Dominum conserfatur hoc conuiuum Melchisedech .

Epistola ad Heb. etiam exaggerat appellatio nem ( Rex iusticie et pacis ) Et ego arbitror hanc appellationē habere generalem causam, et continere si gnificationem aliquam . Magna enim dignitas, magna reverentia fuit ministerij Prophetici tunc, sicut es se debet. Ideo cum Sem esset præcipuus Propheta, et Doctor sanctorum eius temporis, appellatus est Rex iusticie, id est, Rex iustus, et alijs iusticiam prædicans.

Sem uocatur Melchi sedech, seu Rex iusticie.

Hæc

## ENARRATIO

Hec appellatio tribuenda est proprio Regi et  
Sacerdoti Christo, non tribuitur Leuitico Sacerdoti.  
Item, Leuiticus Pontifex proponit Legē, peccata, mor-  
tem, et externam Politiam. Sed Christus donat et p̄a-  
dicat iusticiam, qua coram Deo iusti reputamur, et est  
autor nouæ et æternæ iusticiæ et pacis. Prædicarunt  
autem hanc iusticiam et Patres, quibus promissiones  
traditæ sunt. Hi agnoscabant uenturum Dominum,  
et sciebāt se illa dona ab ipso accipere, sicut ait Ioannis:  
Ex plenitudine eius omnes accipimus. Id cōq; fungen-  
tes ministerio Christi aliquomodo erant eius Typi. Qui  
recum Sem appellatus est Rex iustitiae, significatum est  
uenturum esse Rēgem, qui uerē restituat iusticiam, et ui-  
tam perpetuam.

Cum igitur in hoc Psalmo David inquit, Chri-  
stum esse Sacerdotem secundū ordinem Melchisedech,  
etiam in nomine est descriptio, quale sit Sacerdotium  
Christi, et quod sit dissimile Leuitico, uidelicet, quia  
Christi Sacerdotium affert illud nouum, et æternū re-  
gnū promissum Patribus. Tale regnum non erat Po-  
litia Mosaica aut Leuitica. Hec de appellatione sa-  
tis sit breuiter dixisse.

Postremò autem in fine huius Loci admonendus  
est Lector, ut principalem collationem consideret, de  
qua supra diximus, quod uidelicet Melchisedechi Sacer-  
dotium, erat Sacerdotium benedicens, et nō consistens  
in ex-

P S A L M I C X.

in externis ritibus Leuiticis. Ita est conueniens imago  
Sacerdotij Christi.

Tradita est igitur in hoc uersu insignis descri- Sūma huīus  
ptio Sacerdotij Christi, quæ multiplicem doctrinam & loci, quo ad  
consolationem continent. Primum ostendit principale doctrinam:  
officium Christi, uidelicet quod sit Sacerdos, & quod  
sit passurus pro nobis. Secundo, describit quale  
sit futurum Sacerdotium, scilicet, in quo sit unus Pon-  
tifex æternus, & datus sit res æternas, uidelicet  
iusticiam & uitam æternam. Tertio discerit Sacer-  
dotium Christi à Leuitico. Quarto testatur quod sit  
Sacerdotium benedicens, & prædicans remissionem  
peccatorum, donans iusticiam &c.

Hæc breuiter collegi, ut in summa repetantur  
ea quæ dicta sunt. Illud autem addendum est, ut in no-  
stris tentationibus hanc doctrinam adjuvum, & ad con-  
solationem conscientiarum transferamus.

Nulla enim est dulcior consolatio, quam Sacer-  
dotium Christi considerare. cum enim sit Sacerdos, Consolatio  
huīus Loci.  
est placator, uictima, precium redēptionis nostræ,  
& affidius interpellator pro nobis. Et cum sit æter-  
nus Sacerdos, haud dubie inuocantes liberabit à morte.

Postremò cum sit Sacerdos secundum ordinem  
Melchisdech, benedicet, & donabit nouam iusticiam  
& pacem. Hunc uersiculum si proponemus nobis  
in ueris doloribus, & certaminibus, sentiemus cum  
e uberrimis

## ENARRATIO

uberrimas consolationes continere, sicut Epistola ad  
Hæbreos hortatur nos: Habentes talem Pontificem  
accedamus cum fiducia &c.

Hactenus de hoc uerficulo & de Sacerdotio  
Christi. Nunc adijciam pauca de Sacerdotio singulorū  
Christianorum.

**Ministerium externum & Sacerdotium differtur.** Differunt ministerium externum, & Sacerdotium. Nam Sacerdotum est ius singulorum credentium ad inuocandum, & sacrificandum, ut poslea dicantur. Sed ministerium est executio munera docendi, ubi postulat uocatio. Hoc ministerium publicum tantum ad illos pertinet, qui sunt ritè uocati. Sed dicam de Sacerdotio. Principaliter Christus est Pontifex seu Sacerdos. Hic enim manet æternus Sacerdos, qui immedieate accipit uerbum à patre. Sicut Ioannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Item, ipse habet solus ius sacrificandi pro alijs, ipse est Pontifex, sine mediatore inuocans. Omnes alij inuocant Deum per hunc mediatorem. His modis differt Christi Sacerdotium à nostro. Sic enim nobis impetrithonorem Sacerdotij. Primum si ipsum agnoscamus esse Pontificem talem, ut dictum est. Deinde nos sibi sic adiungit, ut nobis quoq; tribuat Euangelium, & mandatum confitendi, ac docendi pro uocacione. Secundo, dat etiam ius inuocandi, sed ita, ut ipso mediatore utamur, ut certum nos sit exaudiri. Sicut inquit: Quicquid petieritis pa-

**Christiani sunt Sacerdotes.**

PSALMI CX.

tis patrem in nomine meo, dabit uobis.

Tertio, tribuit etiam ius sacrificandi, id est, recipit obedientiam nostram in afflictionibus, in confessione, & alijs bonis operibus, tanque sacrificia, & ornatam honore huius tituli, testatur esse sacrificia, id est, opera quibus Dei gloria fit illius**trior**, & quae placent Deo, sicut de sacrificijs loquitur Petrus, cum ait. Sacerdotium sanctum, offerentes hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum. Hic clare tribuit omnibus Christianis hostias.

Sed haec due differentie sciende sunt inter Christi sacrificia & nostra. Christi sacrificium pro alijs fit, nostra non sunt pro alijs, sed sunt cultus debiti, quos requirit Deus a singulis. Item nostra Sacrificia non placent propter scipsa, sed propter Pontificem Christum. Sicut hic diserte ait Petrus: Hostias acceptas per Iesum Christum. Ut igitur nostra bona opera fiant Sacrificia, requiritur ut fiant in fide, hoc est, ut fiant propter Deum, ad declarandam obedientiam erga Deum, & ad confessionem, & inuitandos alios, deinde ut credamus ea placere propter Pontificem Christum. Haec duæ circumstantiae ex bonis operibus efficiunt Sacrificia.

Hic etiam solet disputari de Missa, hoc est, de Cœna Domini an sit sacrificium? Etsi autem hanc questionem supra attigi, tamen breviter aliquid addam.

## ENARRATIO

Aduersarij hanc causam nunc pingūt multo subtilius quam olim. Idco diligenter quærendi sunt fontes huius disputationis. Olim docebant Missam esse tale sacrificium, quod pro alijs factum, mereretur viuis & mortuis remissionem peccatorum, pœnæ & culpæ ex opere operato, sine bono motu utentis, aut illius, pro quo fit.

**Confutatio** Hic error facile potest refutari, quia manifeste Sacrificij pugnat cum doctrina fidei. Remissio peccatorum collattingit propriacuiusq; fidei, Ergo non contingit ex opere operato, sine bono motu utentis. Consequentia est manifesta, quia fides est proprius cuiusq; motus agnoscentis misericordiam propter Christum promissam. Est igitur res contraria operi operato, et ei quod fit sine bono motu cuiusquam. Ita simpliciter est idolatria tale opus alijs applicare pro remissione peccatorum, et delet doctrinam de fide. Quare illa applicatio Missæ tanquam idolatria abominanda est. Nec opus est longa disputatione in hac causa, quia illa ratio de doctrina fidei clarissime refutat applicationem Missæ.

Quanquam autem nunc subtilius pingunt errorrem suum aduersarij, tamen res eodem redit. Hoc volunt obtainere, quod Missa sit opus faciendum & applicandum pro alijs, tantum addunt hanc correctionem, quod non valeat ex opere operato, sine bono motu utentis, & eius pro quo fit. Contra hanc applicationem etiam

P S A L M I C X

etiam tenenda sunt firma argumenta. Primum ad  
Hæbr. Cap. 10. scriptum est: Vna oblatione consumat  
uit sanctificatos, igitur sola Christi mors est illud sacri  
ficium, quod pro alijs applicatum est, et pro omnibus  
satis est, nec est ille honor transferendus in opus Sacer-  
dotis.

Missa sim-  
pliter non  
potest appli-  
cari alijs.

Secunda ratio. Idolatria est fidem nisi applicati-  
one operis Sacerdotis. Item, si Missa esset opus appli-  
candum pro alijs sive ex opere operato, sive aliter, fi-  
dem oportaret nisi illa applicatione, sicut etiam fit in  
Papatu, Ergo talis applicatio nullo modo concedenda  
est.

Tertia ratio. Coena Domini ualeat tanquam Sa-  
cramentum, Ergo impossibile est eam applicari pro alijs,  
sed prodest utenti. Antecedens est manifestum,  
quia substantia Sacramenti est, esse ceremoniam, in  
qua exhibentur nobis promissiones. Talis est Coena  
Domini. Item, hic Christus exhibet nobis corpus et  
sanguinem, ut propriam fidem confirmemus, et appli-  
cat ipse nobis sua beneficia, Ergo non est opus tale,  
quod nos possimus pro alijs applicare.

Quarta ratio. Idolatria est, in Ecclesia insti-  
tuere cultum applicandum pro alijs, sine manifesto uerbo,  
Applicatio Missæ nullum habet mandatum, sed tantum  
singuli iubentur profecti, ad confirmandam propriam  
fidem, Ergo applicatio est idolatria. Minor est ma-

cij nifta

## ENARRATIO

nifesta ex institutione, quia institutio non iubet pro alijs fieri, Imò est utenti applicatio noui Testamenti, sicut ait textus: *Hic est calix noui Testamenti.* Nam Christus testatur quod per hunc calicem applicet, et exhibeat promissa in nouo Testamento. Igitur non est applicatio pro alijs, nisi proutente. Ex his manifeste appearat, quod Missa non sit opus applicandum pro alijs, siue ex opere operato, siue aliter. Quare nequam est sacrificium, sicut Aduersarij contendunt, qui ideo defendunt esse sacrificium, quia sit opus applicandum pro alijs.

*Vsus uerus Cœnæ Domini.* Refutatis his erroribus, postea facile est intelligere quis sit uerus usus Cœnæ Domini, & quatenus sit Eucharisticum sacrificium cuiusq; utentis. Unus est principalis usus & finis ceremoniæ, et si enim possunt accedere deinde plures fines non pugnantes cum fine principali, unum tamen principalem esse necesse est.

Quare Cœnæ Domini principalis usus est, ut tantum quod sacramento, hoc est, sentire, quod sit testimoniū, quo Christus testatur sc̄ nobis exhibere, & applicare beneficia noui Testamenti, & hoc testimonio admoniti credere debemus, uerè nobis donari illabeneficia propter Christum.

Nō igitur prodest opus ipsum sine fide, nec proficit pro alijs, Sed sicut uerbo Dei, ita hoc Sacramentum suum cuiusq; fidem excusat. Ideo ait Christus: *Hoc facite*

P S A L M I C X.

facite in mei commemorationem. Principalis enim re-  
cordatio Christi est, agnoscere cius beneficia, & ca-  
fide accipere.

Vsus Cœnæ

Postea accedunt & alij fines. Idem opus Cœnæ Domini, sæ  
Domini fit gratiarum actio & confessio. Cum enim crifciū Eu-  
credimus nobis remitti peccata, pro hoc immenso & in charifciū.  
effabilibeneficio gratias agere debemus, & confiteri  
fidem nostram, & nostro exemplo alios invitare &  
confirmare. Constat autem gratiarum actionem &  
confessionem esse cultus Dei, quos saepe præcipit Scri-  
ptura. Est & ipsa fides cultus præcipuus, quo tribui-  
mus Deo honorem summum, quod sit Deus, quod ue-  
re exaudiat, quod præstet promissa, ut Rom. 4. scrip-  
tum est: Dans gloriam Deo. Ita fit usus Cœnæ Domini  
ni sacrificium, id est, opus, quo redditur honor Deo,  
cum accedunt illa, fides, gratiarum actio, & confessio.  
Concurrunt enim multi fines unius operis, sed non pu-  
gnantes inter se.

Exposui quomodo fiat sacrificium. Sed illud hic  
certe tenendum est, ne quaquam hoc opus esse sacrifici-  
um, nisi præcedat principalis finis, & accedant fides,  
& uera Gratiarum actio. Quia nouum Testamentum  
nulla habet sacrificia ualentia ex opere operato. Chri-  
stus enim inquit: Adorabunt Patrem in spiritu & ueri-  
tate, id est, ueris motibus cordis. Et nouum Testa-  
mentum est donatio æternæ iusticie, & uitæ. Quare  
c iiii habet

## ENARRATIO

**H**abet perpetua spiritus sacrificia agnitionem Dei, & glorificationem.

**N**ota. Ex his perspicuum est, non differre usum Cœnae Vsus Cœna Domini in ministro Ecclesiæ, & populo. Et pariter ministeri Domini non iustrum & populum uti tanquam Sacramento. Vtrisq; differt in ministerio pariter testatur exhiberi & applicari beneficia noui iustro & populo Testamenti. Pariter etiam ministro, & populo fit sacrificium, cum addunt fidem, gratiarum actionem, & confessionem. Sed minister eò differt à populo, quia ipse porrigit, sicut Baptisans differt à Baptisato. sed tamen una cum pluribus uscii minister potest.

Verum aduersarij nostri discernunt à manduca-  
tione oblationem, & propriè putant oblationem esse  
sacrificium. Hec opinio supra refutata est, & facile  
refutari potest, si quis consideret, quòd uelint esse illam  
oblationem, uidelicet cultum necessarium in Ecclesia,  
& quidem pro uiuis ac mortuis. Dicatum est autem su-  
pra, quòd sit idolatricum, instituere nouum cultum, si  
ne mandato Dei. Et multo maior impietas est, finge-  
re quod opus illud mercatur remissionem peccatorum  
uiuis & mortuis. Hæc & gloriam Christi obruunt,  
& pugnant cum fide, ut supra ostensum est. Retinen-  
dus est igitur simplex usus Cœnae Domini in Scriptura  
traditus pariter prouincijs Ecclesia. Et detecta  
est impietas, quòd nouus cultus institutus est applican-  
dus pro alijs, &c.

Hæc

P S A L M I C X.

Hæc de Missa breuiter adieci, cum supra de Sacerdotio dictum esset, ut vulgaris error tollatur illorum, qui putant Sacerdotum proprium esse illam oblationem. Hæc opinio abusus ingentes et multiplicem idolatriam peperit.

Commonatus sum in hoc loco de Sacerdotio. Vtissimum enim est pijs recte intelligere, quid sit Sacerdotium, & quas habeat prærogatiwas. Magna enim consolatio est intelligere, quod sumus Sacerdotes, id est, quod habemamus ius inuocandi Deum propter Pontificem Christum, qui pro nobis intercedit. Item, quod nostra bona opera, & afflictiones nostræ sint uera sacrificia, & ueri cultus, qui Deo placent. Nam hæc sunt correlativa, Sacerdos & Sacrificium. Quæ autem efficacior consolatio pijs proponi potest in afflictione, quam si sciant Deum requirere hanc obedientiam, & ita ornare ut iudicet se honore affici hoc cultu, & uelut inuocari, et affuturus sit nobis in his agonibus? Hæc omnia significat nomine Sacrificij. Quare cum in omni uitatum uero in afflictionibus habemamus in conspectu hanc doctrinam de Sacerdotio & Sacrificio. Necesse est populum Dei habere aliquid Sacrificij, quare non defugiamus, quin Deo praestemus hoc nostrum Sacrificium, uidelicet afflictiones nobis impositas, & in his exerceamus fidem & inuocationem, sicut scriptum est: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me &c.

Consolatio  
Sacerdotij.

s s Elsi

## ENARRATIO

Et si autem hec doctrina de Sacerdotio & Sacrificio, non satis pro magnitudine amplificari & ornari potest, tamen quia præcipios locos ut cuncti exposui, pergam ad reliquos uersus enumerandos. Illud unum tantum adiiciam, quod de uersiculo hoc inquit D-Doctor Martinus. Nullum sibi in tota scriptura uersiculum unum uideri dulciorum, aut qui breuiter tantam doctrinæ copiam complexus sit, ut hic uersus: Iuravit Dominus, & non paenitebit cum tu es Sacerdos in æternū.

## V. Dominus a dextris tuis conteret in die iræ suæ Reges.

Hactenus docuit, quale sit Regnum Christi, ubi sint auspicia futura, qualis cultus esse debeat, quæ sit persona Christi, qualem sit Sacerdotium. Quos locos eligere poterat magis necessarios in docendo, & utiliores conscientijs? Nunc addit comminationem de peccatis impiorum, sicut semper in prophetijs de Christo utrumque traditur, quod sit saluatorus credentes, et perditurus impios. Id traditur ut iustum iudicium Dei conspiciatur, & ut aliqui uocentur ad poenitentiam. Item ut p[ro]ij sciant Tyrannorum sequitiam non fore perpetuam, sicut in Psalmo 2. concionatur: Conteret eos uirga ferrea &c. Orditur autem hanc comminatione à descriptione potestis.

Domi-

P S A L M I C X .

Dominus à dextris tuis. Id est, Deus adest hic,  
 cui nulla quamvis magna potentia par esse potest. Qua-  
 rc et si Diabolus omnibus modis atq; artibus oppugna-  
 bit Christum & Ecclesiam, incitabit Tyrannos, ut om-  
 ne genus crudelitatis exerceant, deformabit scandalis,  
 dilacerabit Ecclesiam infinitis discordijs & hæresibus,  
 tamen Dei potentia defendet Christum, & Ecclesiam,  
 & delibet hostes. Sicut inquit Christus: Portæ inferiorū  
 non præualcebunt aduersus eam. Itaq; hic uerficus pro-  
 ponit comminationem impijs & persecutoribus. Rur-  
 sus etiā consolatur pios, ut sciant se defendi & seruari  
 cōtra Diaboli & mundi potentia. Hac cōsolatione pijs  
 maxime opus est in tanta infirmitate Ecclesiæ. Qua-  
 lis enim species, quæ potentia est ecclesiæ, quæ est exi-  
 guus cœtus, imbecillis, et oppressus omnibus calamita-  
 tibus? Huic se opponit Diabolus, deinde uniuersa mun-  
 dia potentia. Tantis uiribus resistere, uincere infidias Dia-  
 boli, retinere confessionem inter tot terrores, & tan-  
 ta pericula & supplicia, nō est humanae potentie. Ideo  
 Ecclesia sustentat se hac cōsolatione: Dominus à dextris,  
 ut sciant se divinitus tegi & adiuuari. Huc pertinent  
 promissio[n]es pa[re]sim traditæ in Scripturis. Zachariæ 2.  
 Ego cro, inquit Dominus, murus igneus in circuitu[s]  
 eorum. Item Psalmus 10. Tibi derelictus es pauper, or-  
 phano tu eris adiutor.

Eſt autem Emphasis in particula poſtrema, quod

Nomis

## E N A R R A T I O

Nominatim ait Reges puniendos esse, id confirmat pios contra scandalum, quod flos mundi, & præcipue sapientia & potentia prædicti, aduersatur sint Euangeli. Monet ergo pios, ne hoc scandalo fracti deficiant ab Evangelio. Item confortatur eos, ut sciant Ecclesiam uictri eam fore tantæ sapientie & potentie.

## VI Iudicabit inter gentes, cumu labit cadauera, conteret caput in terra multorum.

Versus sonat de poena impiorum, sed tamen non sola poena intelligenda est, sed etiam cæterare regni officia. Et quanquam regnum est spirituale, tamen poenæ intelligantur non de sola prædicatione, sed de ueris poenis impiorum. Estq; sententia: Christus regnabit etiā inter gentes, uocabit, & saluabit multos ex gentibus, sed impios, & rebelles perdet poenis corporalibus & eternis, etiam si aliquandiu sine teos grässari, et exerce re crudelitatem aduersus Ecclesiam. Et poenæ infligen tur Tyrannis & impijs, non ita quasi Ecclesia sit regnum mouens seditiones, aut gerens armam contra mundi Regna. Sed Christus in cœlo sua ui grässantes Tyrannos reprimet, et euertet, et perdet, sicut repressit et extinxit Neronem, Julianum, &c.

Hæc

## PSALMI CX.

Hæc est simplex sententia horum uerficulariū,  
quæ colligenda est ex cæteris locis huius Psalmi, et alia  
rum scripturarum, qui testantur Regnum Christi non  
sore politicum regnū, sed aliud quoddam. Quare repu-  
diandæ sunt Iudeorum interpretationes, qui, quia au-  
diunt mentionem pœnarum fieri, postea intelligunt to-  
tum regnum Meſie tantum sore politiam mundanam.  
Et ut definitionem planam, et perspicuam adiiciamus,  
sciendum est, hoc esse regnū Christi, quod Christus pro-  
nobis passus resurrexit, et uicit potentiam Diaboli, peccati  
et mortis, sedet ad dexterā patris, ut iustificet, et donet  
spiritum sanctum, et uitam æternam credentibus in ip-  
sum per Euangeliū, quod dedit, et uult prædicari inter  
omnes gentes. Ibi etiam exaudit inuocantes, et dat ple-  
raq; dona, et impios puniet æterna morte, interdum eti-  
am præsentibus pœnis, ne Ecclesiam penitus delectant. In-  
telliges igitur hoc loco: Iudicabit inter gentes, id est, re-  
gnabit etiam inter gentes, uocabit et saluabit multos ex  
gentibus. Rebelles vero puniet et perdet. Ita complecte-  
mur totum regnum. &c.

Regnum  
Christi.

## Cumulabit cadauera &c.

Quod autem ait: Cumulabit cadauera, est descri-  
ptio magnitudinis pœnarum, quæ significat excidia in-  
gentis potentiae mundi, quæ se opponet Euangeliō.  
Quasi dicat, belligerabuntur toto orbe terrarū Reges,  
& summi

## ENARRATIO

et summi Principes, et omnes prestantes sapientia et opibus conspirabunt aduersus Euageliū, Synagogā, Romani Principes, deinde Mahometicū regnum, et Pontifices cum suis Regibus. Aduersus tantas uires defendetur Ecclesia, et omnes illi hostes, omnia hæc Imperia horribilibus cladibus, et ruinis delubuntur. Eò pertinet quod diserte inquit, percutiet caput in terris multis. Significat enim summam mundi sapientiam et potentiam aduersaturam esse Euangelio, et tamen pœnas daturam, et ruituram esse.

Aliq peculiariter interpretatur de Romana Monarchia, Verū ego nō de illa tantū hūc uersum intelligo, sed primū de Synagoga, deinde de omnibus regnis, quæ cū Euangelio usq; ad mundi finē belligerabuntur. Nā propheta loquitur de omnibus temporibus. Ergo postremis temporibus intelligatur de illis regnis, quæ aduersabuntur Christo, de Machometico regno, et Antichristo; id est, de dominatione Pontificum, qui Ecclesiam Tyrannoide oppresserunt, et idolatriam defendant. Itcm de Regibus hanc Tyrannidem adiuuantibus. Hæc regna etiam si crudeliter affligerent Ecclesiam, tamen Christus conseruabit eam usq; ad finem, et paulatim regna quæ sata cueret, donec omnes tandem impios delubit, et coniiciet in pœnas æternas.

De

VII. De torrente in uia bibet,  
propterea exaltabit caput.

Breuitas parit obscuritatem, quare hic uersus  
dissimiles habet interpretationes. Iudei inepit fingunt  
uictorem Messiam tantam cædem facturum esse, ut tor-  
rētes sanguine manaturi sint, unde bibet exercitus. Sed  
textus nihil de sanguine hic dicit, nec sanguis solet esse  
potus uictoribus. Ideo hanc interpretationem reiicia-  
mus. Habent Iudei hic et aliam fabulam multo absurdā  
orem de Nylo, quam etiam omitto.

Quae est igitur sententia huius dicti: De torren-  
te in uia bibet? Omnino usitata est figura apud Hebreæ Bibere.  
os, bibere pro affligi, ut apud Hiercium cap. 49. Non  
eris innocens, sed bibens bibes. Et in Euangelio: Calicē  
bibetis. Item: Si est possibile, calix à me auferatur, esq;  
paſſim obuiā hæc figura, ut nihil dubium sit afflictiones  
significari hac metaphora.

Est ergo sententia: In uia, id est, priusquam glorifi-  
cabitur, in transitu, donec in hac uita ante glorificatio-  
nem et resurrectionem uerabitur, bibet de torrente,  
id est, hauriet et suscubit communes, et horribiles af-  
flictiones humani generis. Non dicit, ut dibi, bibet cali-  
cem, sed bibet de torrente, ut omnes afflictiones intelli-  
gantur.

## E N A R R A T I O

De torre=gas, sicut etipse clamitat: Deus Deus meus, quare dñe  
te bibere. liquisti me? Harum afflictionum magnitudo non potest  
intelligi à securis et ociosis, nec possunt uerbis explica-  
ri. Satis sit igitur moneri pium lectorem, quod omnis  
generis afflictiones, & quidem horribiles comprehen-  
dat Propheta, cum nominat torrentem. Natura hu-  
mana subiecta est morti, irae Dei, & omnibus calamita-  
tibus propter peccatum. Has poenas pro nobis susti-  
nere Christum oportebat, cum fieret uictima proge-  
nere humano. Et quanta sit magnitudo harum poena-  
rum, ostendunt descriptiones apud Esaiam Cap. 23. Vi-  
dimus cum infirmum, & affectum &c. Item Paulus  
ait, Christum factum esse maledictum & peccatum, id  
est, hostiam pro peccato. Haec significant humiliatio-  
nem, & poenam extremam. Non modo enim ingen-  
tes cruciatus corporis sensit, sed etiam luctatus est cū  
incffabilibus terroribus, & ira Dei. Et in historia  
Euangelica dicitur: Et factus in agonia, prolixius ora-  
bat, & factus est sudor eius sicut guttae sanguinis de-  
currentis in terram. Describit igitur Propheta passi-  
onem, & omnes afflictiones Christi, cum ait: De tor-  
rente in via bibet.

Estq; hic uersus additus, ne superior descriptio  
de regno corporali, Iudaico more, intelligeretur. Sed  
significaretur Christum passurum, & moriturum esse  
& non habiturum mundanum imperium, sed futuri

## PSALMI CX.

in summis calamitatibus, & ærumnis, ut fiat hostia seu uictima. Nam uictimarum mactatio à principio mundi signifiauerat, redemptorem promissum etiam futurum uictimam, & moriturum. Quia Deus uoluit non aliter aboleri peccatum & mortem, nisi morte filij sui. Ideo etiam Ecclesia, ut repræsentet imaginem filij Dei, subiecta est semper omnibus summis calamitatibus humani generis, ut & Christi exemplum, referat, & agnoscamus peccatum, cum ita in nobis mortificatur. Itaq; in hoc uersu primum Christi afflictiones consideremus. Deinde meminerimus totam Ecclesiam à principio mundi usq; ad finem subiectam esse similibus calamitatibus, & sciamus hanc esse uoluntatem Dei, nec propterea nos à Deo abiectos esse, etiam si horribilibus & ingentibus æruminis exercemur, & premimur.

Deinde additur altera sententia de glorificatione. Propterea exaltabit caput. Hoc est, hoc modo glorificabitur, postquam fuerit humiliatus & factus uictima. Sicut Dominus ait Lucæ ultimo. Non ne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Item Actorum 3. & 7. Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis. Et ad Hæbræ. 1. luculenta contio est, quod oportuerit passionem præcedere, cum ait textus: Christus non sicut ipsis glorificauit, sed qui locutus est adeum &c.

f Deinde

## ENARRATIO

Deinde addit de precibus, offerens cum clamore uali-  
do, & lachrymis, exauditus est, propter suam reu-  
rentiam, id est, quia Christus obediuit patri, exaudi-  
tus, & glorificatus est. Et Esiae 53. Qui ponet ani-  
man suam pro peccato, uidabit semen longæum.  
Deniq; passim obuias sunt testimonia in Scripturis, que  
ostendunt hanc fuisse ordinatio[n]e Dei, ut Christus pri-  
mum pateretur, deinde glorificaretur. De hac or-  
dinatione etiam hic Psalmus concionatur, eum dicit  
Christum in via passurum, Deinde glorificandum  
esse. Ceterum, de qua glorificatione uersus intelli-  
gendas sit, docet particula supra posita, de Regno  
æterno ad dexteram patris, hoc est, de Regno, in  
quo Christus diuina potentia liberabit credentes à  
peccato, à morte, & defendet eos contra Diaboli,  
& mundi sævitiam, & puniet eos æternis poenis qui  
Euangeli[u]m non obediunt. Cum igitur dicit, exalta-  
tum esse caput, significat eum habiturum esse illud  
Regnum, quod supra descripsit.

Cum hoc modo uersus intelligitur, quod Chris-  
tus fuerit passurus, & deinde glorificandus, apte co-  
hærent membra, & non est ociosa particula, Pro-  
pterea, quæ testatur, quod glorificatio sequi debue-  
rit passionem. Sed si Iudaicas interpretationes seque-  
remur, ociosa esset hæc particula, Propterea, ut at-  
tentus lector facile iudicare poterit.

Enarratio

## PSALMI CXI

**E**narrato uersiculo, admonendus est Lector, quod  
modo passio Christi consideranda sit: Dein-  
de dicendum etiam de Ecclesiæ afflictionibus: De his  
duobus locis, quia alibi prolixius dicitur, hinc etio bre-  
vior. Nam omnino præterire nolui, quia utile est ubique  
inculcare principalem locum de Passione Christi:

Dé usū, O  
Passione  
Christi.

Primum igitur hoc sciendum est. Passionem  
Christi non tantum ut exemplum propom, sicut pro-  
ponuntur afflictiones aliorum Sanctorum, ut imite-  
mur eorum patientiam, sed alia multo maior est  
causa. Proponitur enim, ut donum, & hostias seu  
precium pro peccatis nostris, ut credamus nobis re-  
mitti peccata, propter illam victimam, seu hostiam:  
Discernam igitur meditationem Passonis triplicem:

Prima est Pœdagogica, Secunda Fidei, Tercia <sup>Triplex me</sup> Exemplaris. Pœdagogica, est recitatio, & consideratio Pas-  
sionis externe doctrinæ de Historia Passonis Christi, sive  
uel de fractu Historie, qualis est lectio, aut qualis  
cumq; recitatio Ceremonialis. Hæc etiam si nondum  
est spiritualis, namen est necessaria ludibus, discen-  
di causa. Est etiam ideo utilis, quia Deus est per nos  
tum efficax: Ideoq; aliquorum affectus spirituales  
excusat: Quare talis ceremonia audienda, legenda  
de, recitanda Historie, non est negligenda nisi asperg-  
menda.

Secunda meditatio est spiritualis, quæ est uera  
per se

## ENRRATIO

perterreficer agnitione iræ Dei aduersus peccatum,  
et rursus concipere consolationem fide, qua credimus propter mortem Christi nobis remitti peccata,  
et hac postea uere placatum esse patrem. Vtrumq; enim proponitur in passione Christi, uidelicet, tra Dei,  
et promissio gratiæ. Et si enim iram Dei aduersus peccatum etiam Lex, et communes calamitates gene-  
ris humani, quæ sunt horrendæ, et innumerabiles,  
~~Christi paf-~~ ostendunt, tamen præcipue ostendit eam mors filij  
~~sio ostendit~~ Dei. Necesse est enim ingentem iram esse, quam nul-  
~~magnitudi-~~ lius sancti mors, aut afflictiones, deniq; quam nulla  
~~nem pecca-~~ res placare poterat, nisi sola mors filij. Vide autem  
u.  
quantum distet humana securitas ab hoc iudicio Dei.

Cum Deus tanti faciat peccatum, homines contra, di-  
cunt leuem offensionem esse, et mirabili audacia, et  
contemptu ruunt aduersus uoluntatem Dei. Ita in-  
quit Paulus, Christum pro nobis factum esse pecca-  
tum, et maledictum. Quæ sunt uoces significantes  
filium Dei non leuem iram sustinuisse, et iubet sic  
apprehendi mortem Christi, et nos perterreficer  
agnitione iræ Dei in morte Christi, cum ait ad Ro-  
man. 6. Si enim complantati sumus ad similitudinem  
mortis eius, et c.

Quoties igitur cogitamus de morte Christi,  
exhorrescamus, et damnemus securitatē nostram, et  
peccatum leuiter curamus, quod Deus ita execratur,  
et detestatur.

P S A L M I C X.

¶ detestatur, nt nulla hostia uoluerit placari, nisi morte filij sui. Mouemur minis legis, mouemur cogitatione ingentium calamitatum humanarum, quae sunt signa iræ Dei. Sed multo magis moueri nos oportebat hoc testimonio iræ, quod Dcus nullam hostiam, nisi filium recipit pro peccato.

Deinde non satis est iram agnoscere, sed nescie est addi, quod mors Christi ita sit hostia, ut fiat pater placatus, ¶ propter hoc sacrificium remittat, Mors Christi consolatur contra peccatum. ¶ deleat peccatum in carnic nostra, ¶ donet iusticiam, ¶ uitam æternam, ¶ quod hæc certò conse quamur, non propter aliqua merita nostra, sed fide gratis. De hac parte loquitur Paulus, cum ait ad Roman. 4. Traditus est propter delicta nostra, Et ad Rom. 8. Pro peccato damnavit peccatum in carne. Et 2. ad Corinth. 5. Eum qui non nouerat peccatum, fecit peccatum pro nobis, ut nos fieremus iustitia Dei per ipsum. Hæc sententia clare docet, quomodo uti beneficio Christi debeamus. Ita enim donata est nobis passio Christi, ut statuendum sit nos propter ipsum consequi remissionem peccatorum, ¶ reputari iustos, non propter nostram propriam dignitatem. Non enim propria dignitas nostra aduersus iram, ¶ iudicium Dci, sed Christi sacrificium opponi debet. Id est umbraculum illud, quo tegimur, quo pater certò placatur.

f ij Hæc

## ENARRATIO

Hæc est igitur uere spiritualis meditatio pa-  
sionis Christi, cum hoc modo in pauoribus uere nos  
erigimus fide, idq; fieri debet in omni iuocatione,  
in omnibus negotijs, & periculis, & temptationi-  
bus. Sic David in acie se consolabatur in medijs peri-  
culis præliorum. Sic Paulus in omnibus negotijs hac  
consolatione se sustentat. Sic mater in partu, sic de-  
tiq; quilibet pius in omni actione iuocat Deum, illi  
Pontifici Christo se adiungens, & credens se propter  
ipsum Sacrificium recipi, & exaudiri.

Non igitur est spiritualis meditatio, sccedere  
in monasteria, & ociosis animis cogitare de Paßio-  
ne Christi, & lugere Christum, sicut mulieres cum  
lugebant, cuntes ad sepulchrum, sed in omni uita, in  
omnibus periculis, & certaminibus intueamur Chri-  
stum, & eius sacrificio, & præsentia nos console-  
mur. Hæc sunt utilia pijs, & intelligi possunt. Et  
de hac uera, & non ociosa meditatione loquitur Paulus ad Philip., Existimo omnia detrimentum esse pro  
pter eminentem scientiam Domini mei Iesu Christi, ut  
inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex  
Lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex  
Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum, &  
iuramentum Resurrectionis eius, & societatem Paßionis  
Eius, configurati morti eius &c.

Exemplaris  
meditatio . Tertia meditatio est Exemplaris. Hæc eti-  
am

P S A L M I C X .

am non est principalis, tamen pijs proponenda est.  
Quia continent duas consolationes utilissimas in affli-  
ctionibus, uidelicet, quod Deus hanc obedientiam re-  
quirat, ut afflictiones perferamus. Secundo, quod  
Deus non ideo abiecerit pios, quia sinit eos affligi,  
Nec affligit ut perdat, sed ut mortificetur uictus pecc-  
ati in nobis, & crescat fides in his exercitijs.

Hæc doctrina de Cruce ualde necessaria est  
pijs, & nusquam illustrius conspicere potest, quam in  
hoc ipso exemplo filij Dei, nec illa doctrina, aut ul-  
la philosophia unquam fuit, quæ tales consolationes ui-  
derit, aut tradere potuerit. In omnibus hominibus mira  
tur ratio, qui fiat, ut hæc excellens natura hominū cū  
tamen sit infirmissima, tantis calamitatibus onerata sit,  
quarū magnitudinē nemo satis cogitare potest, tantū ab-  
eſi ut dicēdo explicari possit. Deinde, quare optimis et  
præstantissimis uirtutibus præeditis, incidunt in summas  
erumnas, id non solum afferum, sed etiam crudele,  
& iniustum uidetur. Itaq; ratio existimat partim ca-  
ſu hæc mala accidere, partim ex materiæ qualitatibus.  
Illud ccrien non statuit, aliquo Dei consilio tantum onus  
naturæ hominis impositum esse, multo minus talem  
obedientiam esse cultum Dei, & hanc obedientiam ne-  
cessariam esse, imò fremit omni impetu aduersus hæc  
tanta mala, & sentit eos, qui sic affliguntur à Deo,  
desertos, & abiectos esse.

Hæc

## ENARRATIO

Hæc infirmitas & indignitas in humanis animis agnoscenda est, ut remedia quæramus. Nam doctrina Euangelij docet quid sit sentiendum de afflictionibus, & monstrat testimonium & exemplum in Christo. Non enim casu accidunt, sed Deus uult præcipue ecclesiam subiectam esse afflictionibus. Et testatur nos affligi, non ut pereamus, sed ut exercetur fides, & crescat in nobis. Ideoq; afflictiones vocatur in uerbo Dei Sacrificia, & sanctissimi cultus Dei. Sicut in P salmo dicitur: Sacrificium Deo spiritus contributus. Et alias: Preciosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Item alibi: Preciosus sanguis eorum coram eo.

Hæc doctrina de afflictionibus mundi reuelata est cum Euangeliō. Quia pios tenere hanc conlationem magnopere opus est, ne existimant se in tantis ærumnis negligi, aut abieciros esse à Deo. Quare hæc reuelatio proprie ad Euangelium pertinet. Cum igitur initio promittitur redemptor, qui liberet genitum humanum à peccato, & ab omnibus calamitatibus, quæ peccatum secutæ sunt, diserte additur: Inimicitias ponam inter mulierem, & scmen serpentis, conteret caput serpentis, & serpens calcancum eius mordebit.

Hæc uerba uidentur in speciem de re non magna concionari, sed si uerè considerentur, proponuntur tristissime.

P S A L M I   C X.

tristissimas poenas, quæ post peccatum impositæ sunt  
humano generi. Ostendunt Diabolum hostem esse hu-  
mani generis, qui omnem sœvitiam non modo in im-   Morbus  
pios, sed in illud semen exercabit, à quo ille calcabitur. calcanei.  
Addit enim textus Euangeliū de futuro semine, quod  
liberabit naturam humanam à peccato, & à poenis.  
Sed tamen hoc ipsum semen mordebitur à serpente.  
Ergo grassabitur Diabolus in uniuersam Ecclesiam,  
& Christus, & omnes p̄ij erunt subiecti ingentibus  
calamitatibus.

Hoc docet initio mundi prima concio, & im-  
ponit nouam legem naturæ, non nobiscum natam,  
sed quod oporteat eam affligi, & quod afflictiones  
illæ in p̄ijs, Deo placiture sint, quia etiam ille libe-  
rator generis humani passurus sit. O admirandam,  
& grauem concionem, si quis consideret ærumnas  
illas, & calamitates humani generis tam breuiter hic  
significatas esse.

Postea exempla declarant hanc concionem.  
Abel interficitur, Isaac ducitur ad mortationem. Pro-  
phetæ interficiuntur. Deniq; uniuersus populus Dci,  
ingentibus ærumnis excrucetur, sed maxime illustre  
exemplum est ipse filius Dei Christus. Quare nemo  
sc illi primæ legi eximat. Sciamus omnes nos habere  
crudelissimū hostem Diabolū, qui & si non potest Ec-  
clesiæ membra pdere, tamē mordebit eorū calcaneos.

## ENARRATIO

Itaq; non minremur, non frangamur animo, cum  
sentiemus nos oneratos esse adeo multis & ingentia-  
bus malis, & quidem cum uidemur multa indigna pa-  
ti. Hic intucamur in exemplum Christi, & discamus  
utrumq; quod hæc obedientia sit necessaria, & quod  
Deo placeat, propter Christum. Sciamus nobis min-  
ri serpentem, sed tamen non posse eum mordere ni-  
si calcaneum, scuit in hoc mortale corpus, sed Christus  
liberat nos à peccato & morte.

Hæc tota doctrina de cruce procul extra con-  
spectum rationis posita est, & nusquam traditur, ni-  
si in doctrina de Christo. Ideo & in hoc Psalmo, cum  
quidem triumphos Christi describat, tamen etiam affli-  
ctiones attingit, cum ait: De torrente in via bibet.  
Item cum facit mentionem Sacerdotij. Nam Christus  
talis est Sacerdos, ut sit factus uictima pro peccato  
& maledictione, quare & mortem, & horribiles  
afflictiones sustinuit. Hæc de meditatione Passionis  
Christi adieci, ut in hoc Psalmo complectemur do-  
ctrinam utramq;, scilicet de Passione, & uictorijs  
Christi.

F I N I S.

# PARAPHRA SIS PSALMI DIXIT

Dominus, auctore Iacobo Mycyllo  
Argentoratensi, Scholæ Fran-  
cofordanæ Magistro.

Quæ noua cœlesti supercū regnator ab arce,  
Promittit Domino sceptra tcnenda meo;  
Quia uenit laudabunt secula gentes?  
Quæ facies rerum? qui status orbis erit?  
Cum ueniet, nostra qui quondam ab origine natus,  
Et iudex scelorum, et pacis amator erit.  
Qui uictor medios inter dominabitur hostes,  
Et premet imposito colla superba iugo.  
Felix ô himium, numiumq; Sionia rupes,  
Auspicium regni prima datura noui.  
Primaq; uictoris lætos uisura triumphos,  
Inq; tuis uerum fixa trophyæ iugis.  
Nam subito patrias simulac moderator habens,  
Cœperit, et regni crescethonore noui.  
Et iam purpureo consurgens clarior ortu,  
Viuenti leges, iuraq; sancta dabit.  
Impia Iudea ueniet de gente propago,  
Quæ caput hoc ferro contemnerare uolci.  
Audibitq; illi sceleratam intendere mortem,  
Vnde salus, uirtus, gloriæ, uita uenit.

Quiq;

## P A A R A P R A S I S .

Quiq; fuit præcibus toties uotisq; petitus,  
Sue Abramē tuis, Isaeē siue tuis.

Ille, ubi post longos optatus uenerit annos,  
Occumbet populi fraude, doloq; sui.

Et quod nulla unquam poterit decere uictus,

Sustinet hoc soboles nostra subire nefas.

Heu rabies hominum, & cæco gens concita motu,

Sic oblitera tui nominis esse potes?

Nec te tantu noui quondam miracula Regis,

Næc præsens pietas, & beneficia mouent;

At non longa tui durabunt gaudia coepit,

Teq; grauis multo fœnore poena manet.

Nam sim il ac posito gaudebit uina timore,

Et credet portum uota tenere suum.

Ecce inter medios surget rediuius ouantes,

Et petet ultrici castra relicta manu,

Et te securum premet inter cepta, nouusq;

Victori uerso Marte triumphus eris.

Tum, uelut amotis uenientis aurora tenebris,

Cum reuehit pulchrum pulchrior ipsa diem,

Roscidus ē summo paßim cadit humor Olympos,

Plurimaq; in tencro gramine gutta sedet.

Sic ubi puniceo ductor sublimis in Ostro

Signa triumphato proferet hoste noua.

Innumeri paßim, uitoris castra sequentur,

Quiductu tanti Principis ire uolent.

ipſe

P S A L M I C X.

Ipse quidem solio residens sublimis aucto,  
Constituet populis foedera certa suis.  
Sæuaq; propellens fragilis discrimina uitæ,  
Tempora tranquilla pace beata reget.  
Omnia, prima, Sion, quæ tu pulcherrima quondam  
A spicis oculis (euge beata) tuis.  
Atq; tua primum factis clares et in urbe,  
Qui uos uult summo conciliare Deo.  
Nam non sceptra modo geret, atq; insignia Regum.  
Aut pacis Princeps exterioris erit.  
Sed uelut æterno placuit sententia patri,  
Quamvis annorum solucre nulla potest.  
Ipse sacerdotis faciet quoq; munera summi,  
Grataq; pro nostro crimine sacra dabit.  
Ac ueterem læsi placabit numinis iram,  
Solutæ et æternæ vincula sœua necis.  
Atq; iter ad placidum faciet remcibile patrem,  
Quod petulans morsu clauserat Hæna suo.  
Dumq; pijs animis reparat cœlestia regna,  
Occidet, ætherco uictima grata Deo.  
Nec tamen aut pecudum torrebit uiscera flammis,  
Aut dabit accensis exta cremanda focis.  
Aut procul à nigris uenientia Thura Sabæis  
Offeret, aut frugis munera falsa nouæ.  
Qualia, fama refert sacros Aaroni nepotes,  
Quondam Sinaicis eruditissime iugis.

Bed

## P A R A P R A S I S

Sed nouus ille patri faciet noua sacra Sacerdos  
Sublato ueteris more ministerij .  
Ac uelut Abramo spolijs hostilibus aucto ,  
Cum peteret Solimi Regia tecta ducis .  
Obnus & rerum successu latus ouanti ,  
Melchisedec uerbis dicitur iſſe pijs .  
Multaq; gratando uictori multa precando ,  
Vatidico tales ore dedisse sonos .  
O nimum dilecte Deo , cui militis enses ,  
Et ualidæ regum succubuere manus .  
Cuncta tibi superum uertet fœlicia rector ,  
Et cedent uotis omnia cepta tuis .  
Has mihi non uano de te ſpes omne firmat ,  
Qui tua corda regit , qui tua facta regit .  
Qui ſeruat quodcumq; tui eſt , qui fata gubernat ,  
Teq; inter uitæ mille pericla te git ,  
Talia pro nobis noster quoq; uota Sacerdos  
Et faciet tales ore fauente preces .  
Orabitq; patrem per tot discriminia uitæ ,  
Ut faciles cursus prebeat atq; uias .  
Vt ueniam misericordia donet , culpamq; remittat ,  
Et faciet regni partē federe ſui .  
Hæc ſeries rerum nullo mutabitur æuo ,  
Dum ſummi ſtabunt lucida regna poli .  
Sed ſimil incipiet per ſecula cuncta ncpotum  
Idem hominum Princeps , atq; preceptor erit .

lxxviii

P S A L M I C X.

Idem pro nostro placabit crimine patrem,  
Atq; potente reget tempora cuncta manu.  
Quo uos ô Domino placide parcite futuro,  
Et tanti quondam iussa timete Ducis.  
Nec facite ut populum cum uenerit ille rebellum  
Cernat, & ad leges peccora surdanouas.  
Tempus enim ueniet, cum spreti namim sultor,  
Suppicio fontes puniet ipse gran.  
Et fretus patriæ diuino numine dextre,  
Proteret obtutu corda superba suo.  
Hei mihi, quas cædes, quot corpora strata uidet  
Qua dia tum fuso prata cruento fluent.  
Cum ferat contundet tumidorum prælia Regum,  
Et premat obstantum vindice tela manu.  
Altaq; suspendens superatis hostibus arma,  
Virtutis ponet clara trophæa sue.  
Nam licet ærumnas hominum perferre iubetur,  
Atq; idem nostræ fata subire necis.  
Hunc tamen ad superos deuicta morte reducat,  
Et regnum summo ponet honore pater.  
Huic & arbitrio leges uitæq; necisq;  
Stabunt, hic Dominus totius orbis erit.

F I N I S.

